QVÆ RES BENE VERTAT!

# ANTIBODINI

## JURIDICI PRODROMUS

DE QVO

*PRÆSIDE*

VIRO EXCELLENTISS.

## Dn. CHRISTIANO KLENGEL,

D. ac P. P. &c.

PRO LICENTIA U. J.

*D. D.*

## DIETERICUS COCH.

GUSTROVIO-MECKLENB.

*DIE OCTOBR.*

---

WITTEBERGÆ
Literis RÖHNERIANIS, cIↄ Iↄc LIIX.

BIBLIOTECA ... ROMA ...

2302.

# DIETERICI COCHI
# ANTIBODINI JURIDICI PRODROMUS.

## *CAPUT PRIMUM.*

*I. Inter Politicos eminet Bodinus.*
*II. In Jure Publico, & Privato ſæpius hallucinatur.*
*III. Fidem negat latronibus ac piratis.*
*IV. Prædones Magiſtratuum imperia ſubeuntes impunitate donat.*
*V. Interdum mutatio incidit Prædonum.*
*VI. Familia quot perſonis conſtet?*
*VII. Populus idem eſt demortuis ſingulis.*
*IIX. Populo exſciſſo penitus civitas intereat neceſſe eſt.*
*IX. Rex unus eſſe poteſt plurium regnorum diſtinctorum.*
*X. Rerum univerſitatis non eadem eſt ratio.*
*XI. Furta qvo ſenſu dicantur Jure Naturæ eſſe probibita?*
*XII. De pactis Familiarum Illuſtrium.*

I.

INter Politicos maximi fere æſtimo JOH. BODINUM, & eruditione, & judicio Principem, licet difficiliores ſex ipſius libri de REPUBLICA exiſtant, qvàm ut omnibus placere poſſint. Hinc carptoribus non caret Bodinus. Colero qvoq; in Epiſtola de ſtudio Politico concepta nimis ſe diffundere videtur. *Sed facile eſt* (ut idem ait) *in operoſo libro, qvod reprebendas invenire. Tu tales eò cautius lege, qvò magis ab aliis notari intelligis.* Cautionem Antonii Poſſevini parvi pendo. Inſigne magis de Bodino judicium eſt Gabrielis Naudæi in Bibliographia Politica, qvam eliinatiſſimo BUCHNERO noſtro acceptam ferimus. Exprimam autem Naudæi verba, cum talia ſint, ut & cum autorita-

 te, &

1504-

te, & cum venuſtate ſingulari dicta videantur. *Nullus (inqvit) jaculum extra metam expedivit excepto Joh. Bodino, cui uni tantum cæteri concedunt, qvicunq; unqvam de Republica libros edidere,*

*Qvantum lenta ſalix pallenti cedit olivæ.*

*Nec immeritò ſanè, cum animum inqvietum ac vaſtiſſimum, qvem acceperat à natura, tam pertinaci ſtudio, tam inexhauſta doctrina, tam admirabili judicio excultum ad rerum omnium comprehenſionem attulerit, ut ſuperatis lingvarum pene omnium ac ſcientiarum difficultatibus non modo naturæ theatrum novis rationibus extruxerit, ſed regnorum, qvotqvot in mundo conſtituta fuere, ſpecies, leges, inſtituta, arcana deniq; & virtutes, ac vitia in ordinem ſapientiſſimè reduxerit, ac velut Phœnix unicus ſui ſeculi ſeipſum tandem conſumpſerit in contemplatione altioris illius ſapientiæ, cujus ſecreta revereri potius ac admirari debuiſſet, qvam ipſa in medium & examen, velut reliqva omnia, vocare. Sanè qvantum ad ejus Remp. ſpectat, fateor, opus eſſe elaboratum ingenio, expolitum induſtria, perfectum judicio, & ita numeris omnibus abſolutum, ut qvi ab ipſo diſceſſerit, haud diſſimilis videri poſſit nautis illis antiqvioribus, qvi neglectâ vel ignoratâ cynoſuræ præſtantia navigationis ſuæ curſum ad avicularum qvarundam placitum dirigebant, ſæpiusq; per cautes & ſaxa præcipites ferebantur. Scio eqvidem Fabium Albergatum, hominem Italum, & Serrium, ac Augerium Ferrerium, Gallos, magnis conatibus & libris ad id conſeqvendum editis periculum illi ac ruinam intentaſſe; ſed eventus docuit, eundem fuiſſe iſtius pugnæ eventum, qvem Pygmæorum cum Hercule, ut non jam ad miniatas alicujus Attici aut Hyperattici ceras trepidare debeat, ſed ad Eccleſiæ ſolius judicium, cujus cenſuris qvoniam vehementius urgetur, qvàm inimicorum argumentis, hinc eſt, qvod ipſius libri evolvi minimè debeant, niſi obtenta prius & hunc, & qvoslibet autores Politicos legendi facultate.* Hactenus Naudæus.

II. Ego porro nec legendum eſſe dixerim Bodinum, niſi ab eo, qvi juris publici æqvè ac privati ſibi paravit cognitionem haud mediocrem. Toties hallucinatur, toties rei damnoſa publicæ inculcat, ut monitore opus ſit, ne promiſcuè arripias vera

vera cum falſis. Alicubi errare qvidem videtur, ſed exors eſt culpæ. Ea propter ſuſceptum feliciter tranſacturus ſum negotium, ſi & errores ipſius in Jure præcipuos leviter tetigero, & qvæ ſpecie erroris imponunt ab omni livore, qvanta vis eſt animo, liberavero. Multi (facilè conjecto) temeritatem mihi objicient, qvod cum tanto Viro in arenam deſcendere conatus ſim, cujus dicendi copiam eruditisſimi admirantur. Fore tamen & amicos confido, qvi ſi non eloqventiam, qvâ planè deſtituor, ac ingenium, cujus debilitatem ſupprimo minimè, veri certe curam ſint commendaturi. Imprimis ſimplicitati dictionis, qvam ſpiritu ſæpe, non arte determino, facilè ignoſcent, qvi veritatem asſiduè ſectantur. Sunt enim, qvi de his maximè, qvæ nec ipſi, nec alii intelligunt, inaniter gloriantur. Reperiuntur etiam, qvi dente theonino omnia ſine diſcrimine rodunt, qvorum malevolentiam uti non curo, ita nec exhorreſco. Virtutis proprium eſt, non qvid actum, ſed qvid agendum, nec qvid adſit ſibi, ſed qvid deſit attendere. Hinc nulla tempeſtas mihi deteget modeſtiam, qvo minus propoſiti ſim tenax, indies futurus doctior, vertendo me in omnes facies.

III. Hæc præfari libuit, ut ex omnibus ſuis partibus conſtaret ſubita mea commentatio, *L.I. D.de orig.jur.* qvam ut vires ingenii experirer in me ſuſcepi, non ut inanem gloriolam aucuparer, Bodini eruditionem aliàs ſuſpiciens. Igitur rem ipſam aggredior, & qvidem CAPUT PRIMUM LIBRI PRIMI, in cujus frontiſpicio occurrit definitio Reip. qvam tantum abeſt ut probem. At meum non erit de eo diſſerere, qvod nudæ Politicorum cenſuræ non tam committo, qvàm à propoſito alienum omitto libens. Saltem miror, qvod definitionem Reip. ſuam faciat, qvam multis ante ſeculis Speuſippus in definitionibus Platonicis totidem propoſuit verbis, ſi fidem meretur Piccartus *Comm. in Lib.III. Polit. Ariſtot.cap.VI.* Sed inſtituti memor magis admiror, qvod latronibus ac piratis fidem neget penitus. Aliud ingenuæ fronti Hugonis Grotii arridet *III. de J.P. & B. c.XIX. n.II.& ſeqq.* Interim non diffiteor, publicâ ſecuritate haud qvaqvam fretos eſſe latrones, prædones, & hujus monetæ cæteros, *Joh.Georg.Becht. de ſecurit. & ſalv.*

 *cond.*

1306.

*cond. c.IV. §.CXXIV. & ſeqq.* niſi ſpe ſecuritatis promiſſæ ſe ſiſterint, *Hunprecht. magery. Diſp. de fide: comm. Treutl. Vol I. D. V. th.VI. lit.D.* At verò licet probet ſententiam Grotii de fide latronibus ſervanda Joh. à Felden, diſtinctionem tamen illius non accipit in annotatis: *Licet propter vitium dignus non ſit jure aliqvo humano, eo ipſo tamen cum qvis ſciens piratam aliqvem eſſe cum eodem ut tali contrahit, à ſtatu diſſolutæ ſocietatis recedit, & ſocietatem qvandam humanam init, ex qva tenetur. Secus eſt, ſi non cum pirata ut tali contrahit, qvia à ſtatu diſſolutæ ſocietatis non abiiſſe videtur.*

IV. Nec hoc ferendum eſt, qvod Bodinus tradit, *prædonum, qvi vocati in jus veniunt, & Magiſtratuum imperia ſponte ſubeunt, rationem in judiciis haberi, cum eo ipſo jam deſierint eſſe prædones.* Utut enim ad meliorem frugem redire ament, qvos conſcientiæ ſtimulant malefactorum ſuorum, turpitudo tamen non aboletur, qvæ intermiſſa eſt, *L.XLIII. §.IV. D. de rit. nupt. ar.* nec pœna evitatur obtentu pœnitentiæ. Omnes enim impune ſua malefacta laturi eſſent, ſi illam qvovis modo profiteri ſufficeret. Deus ipſe non ſemper pœnitentiâ ductis omnem remittit pœnam, qvod exemplo Davidis probat Grotius *II. de J. P. & B. c.XX. n.XI. Add. Petr. Theodoric. Diſp. X. Colleg. crimin. th. VII. lit. G. Cran. de Pac. Relig. part. II. probl. VI. connex. I.* Igitur exaudiri nolim iſtam Senecæ in Agam. vocem: *Qvem pœnitet peccaſſe, pœnæ eſt innocens.* Qvinam autem prædones appellentur, Bechtius te docebit *de ſecurit. & ſalv. cond. c.IV. §.CXXV.* At oppones cum Bodino exemplum Auguſti Imp. qvi Corocotæ ſponte ſe ſiſtenti gratiæ largus extitit, ne ſecuritatem violaſſe publicam videretur. Qvam antea negaverat ſecuritatem latronibus, jam benivolè impertitur Bodinus, exemplo ſeductus, cujus nulla, vel certè exigua vis eſt, ſi caſus ſuſtuleris à Mynſingero expreſſos *in ſchol. ad Inſt. §.XI. de adopt.*

V. Rectius ſentit, ubi ex prædone Regem aliqvando optimum extitiſſe autor eſt. Et ne mireris, poteſt mutatio incidere non in ſingulis tantum, ſed etiam in cœtibus, ut qvi prædones modò fuerant, aliud vitæ genus amplexi civitas fiant, *Grot. Lib.III. de J.P. & B. c.III. n.III.* Qvid qvod melius ſit, ſi

ex

ex prædone dux juſtus fiat, qvàm ſi dux ab initio juſtus deponat perſonam, futurus prædo? Verum (cheu) initia Principum fere ſunt meliora, finis tandem inclinat, *Lipſ.II.Polit.V. Job. Mariin. Lib.I. de Reg & Reg. inſtit. cap.V.* Qvocirca ſæpe evenit, ut in ſentina vix locus ſit eis, qvi antea in puppi ſedebant. Cauſæ partim in nobis, partim Principe, partim ipſo principatu ſitæ, *Lipſ lib.II. monit polit. cap.VI.* Certè Alexander M. qvod ſine cauſa in Perſas, aliasq; gentes bellum arripuiſſe videretur, in criminis ſocietatem tractus eſt à pirata qvodam, cujus Bodinus meminit. Adeo bella qvidem publicâ autoritate ſuſcepta effectus nonnullos juris habent, ut & ſententiæ, ſed ideo peccato non vacant, ni cauſa ſubſit, *Grot. Lib.II de J. P. & B. c.I. n.I.*

VI. Hæc ad caput primum Bodini monenda duxi, incurioſus aliorum. Ordiar CAPUT SECUNDUM, in qvo non absq; vitio bis Ariſtotelem taxat, patrocinio Henning. Arniſæi *Lib.I. doctr. Polit. c.I.* tutum. Mihi interim qvot perſonis familia conſtet negotium datum eſt. Scriptor noſter *tres perſonas præter patrem familiæ neceſſarias in familia definienda ducit ex ſententia JCtorum.* Probat id ex *L.* CXCVI. *D. de V.S.* in qva nihil reperio, niſi qvod appellatione familiæ ipſe Princeps ejusdem contineatur. Demum matrem fam. ſubjicit, ut omnibus ſuis numeris ac partibus conſummatam exhibeat familiam. At Schneidevvinus *Comm. in Inſt. de legat.* §.XIIX. *n.*X. Arniſæus *lib.I. doctr. polit c.II.* Cellar. *Lib.I. Polit. c.V. th. IV. V. &c.* à tribus perſonis familiam conſtitui volunt, nec ineptè, ut puto. Numerum n. perſonarum ex fine familiarum æſtimari par eſt. Minimè tamen patior *L.XL.§ II. D. de V. S.* ab Arniſæo de liberis exponi, i. e. filiis, nepotibusq;, cum textus ille ad eos ſolos reſtringendus ſit, qvi in ſervitio, qvi noxæ dari poſſunt, & qvorum nomine noxalis actio ſurgit, *Gædd ad dict. L. n. III.* Planè qvod de collegio Neratius Priſcus *in L.* XXCV. *D. de V.S.* monet, à tribus illud perfici, ad clericos & cathedrales Eccleſias cogitate extendit Gædd. *ad d.l. n.*III.

VII. Eàdem temeritate, qvâ numerum perſonarum in familia à JCtis ſe accepiſſe gloriatur Bodinus, JCtos porro tradere aſſeverat, *immortalem eſſe populum, ac milleſimo poſt anno*

*eundemfore, qvi antea fuisſet.* Non renuo qvidem id aſſerere, qvod ipſi Grotio placere comperior *lib.*II. *de J P. & B.c.IX.n.*III. at neutiqvam probat hoc *L.*LXXVI. *D. de judiciis : Legionem eandem haberi conſtat, ex qva multi deceſsiſſent, qvorum in locum alii ſubjecti eſſent, & populum eundem hoc tempore putari, qvi abhinc centum annis fuiſſet, cum ex illis nemo nunc viveret.* Exemplo fluminum hoc appoſitè probat Ariſtoteles *lib.* III. *Polit. c.*II. qvæ eadem dicere ſolemus, licet alia aqva affluat, alia defluat. Ex odio itaq; Piſo apud Tacitum negat Athenienſes ſui temporis eſſe Athenienſes, qvippe tot cladibus extinctos, ſed illuviem nationum. Externa enim illa acceſsio de dignitate fortè aliqvid detraxerat, populum alium non fecerat, *Grot. d. loc.* Sanè uſum fructum Reip. conceſſum centum annis tuetur L.LVI. *D. de uſufr.* non ultra, qvia is finis vitæ longævi hominis eſt. Obſtare dices Pſalmum XC. ne cætera memorem, qvæ Finckelthuſ. congeſsit *obſ.C.* Dimoveor minimè à recepta ſemel ſententia, qvam propugnare integrum mihi eſſe duco. Alias de termino vitæ tres emiſit libros Menaſſeh Ben Iſrael haud tralatitiè conſcriptos.

IIX. Porro nec illud capio, *populum exſcindi poſſe penitus, ſalvâ urbe.* Ratione utitur: *qvia nec in perſonis, nec in mœnibus Civitas ſubſiſtit, ſed in civium omnium cœtu ſub ejusdem imperii ſumma poteſtate.* Neutiqvam diffiteor, ſpiritum ſive ἕξιν in populo eſſe vitæ civilis conſociationem plenam atq; perfectam, cujus prima productio eſt ſummum imperium, vinculum, per qvod Reſp. cohæret, *Grot. II. de J. P. & B. cap. IX. n. III.* Ubi verò cœtum conſpicies civium exſciſſis ſingulis? In qvo etiam ſummum exercebitur imperium? Particularum qvidem mutatio non efficit, ut populus eſſe deſinat, qvi fuit; attamen qvin intereat populus interitu corporis, aut interitu ſpeciei ſive ſpiritus, prorſus nihil abeſt. Commendo Grotium *dict. loc. num. IV. V. VI.* Qvid ſi mutetur ſtatus? Idem fuit Pop. Rom. ſub Regibus, Conſulibus, Imperatoribus, *Grot. ibid. n. IIX.* Sed mordicus contrarium tenebis cum Feldeno, qvod formâ mutatâ res ipſa mutetur. Atqvi ſtatus Reip. forma civitatis eſt. Ergo mutato Reip. ſtatu ipſa civitas mutari videtur. Non placent ambages Gras-

Win-

Winckelii. Unica placet diſtinctio inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, cujus aptitudinem commendabit Fibigius *ſemidecad. 1. elector jur. publ. quæſt. 1.*

IX. Circa Æthiopum qvoq; Remp. qvam ex qvinqvaginta provinciis conſtare ait Bodinus, notâ dignum occurrit, qvod Paulus Jovius regna vocet. Aſtipulari detrectat Bodinus, *cum unius & ejusdem Principis ſummo imperio regantur.* Ratio talis, in qva meritò deſideres rationem. Unus ſanè Rex eſſe poteſt plurium regnorum, niſi fallit Grotius *lib. I. de J. P. & B. cap. III. num. VII.* Neq; enim ut in naturali corpore non poteſt caput unum eſſe plurium corporum: ita & in morali.

X. Præter ſummum illud imperium, de qvo prolixè agit Bodinus, multa civibus communia inter ſe eſſe perhibet, ut forum, fana, ærarium, &c. Sed non eadem omnium rerum univerſitatis ratio eſt. Qvædam enim habentur COMMODITATIS causâ, qvibus ſinguli utuntur, ut ſunt theatra, ſtadia, fora, balnea publica: qvædam UTILITATIS gratiâ comparantur, & ſunt univerſorum, non ſingulorum uſu, ut pecuniæ univerſitatis, *L. VI. princ. D. de contrah. emption. D. Ludwell. Comm. in Inſt. de rer. divis. §. VI.*

XI. Sanè nullam reperire licet Remp. qvæ nihil omnino habeat publicum, aut commune. Porro publicum nihil eſſe poteſt, ubi nihil eſt privatum, ut meritò communionem illam Platonis damnet Bodinus. At imponere nobis videbitur, furtum (qvod & hodie privatum meritò cenſetur delictum, incasſum obſtante Conſtitutione Criminali Caroli V. *Petr. Theodoric. diſp. I. Colleg. Crimin. th. XII.*) jure Naturæ prohiberi asſerens, cum tamen dominia jure Gentium diſtincta velit Hermogenianus *in L. V. D. de J. & J. Add. D. Frantzk. exercit. I. quæſt. VI. D. Hahn. Obs. ad D. de J. & J. n. XVI.* Non imponit Bodinus, niſi leges qvoq; noſtras imponere dixeris, *L. XLII. D. de V. S. L. 1. §. ult. D. de furt. §. I. Inſt. de oblig. quæ ex delict. naſcunt* Scilicet Jus Naturale non de iis tantum agit, qvæ citra voluntatem humanam exiſtunt, ſed de multis etiam, qvæ voluntatis humanæ actum conſeqvuntur, *Grot. Lib. I. de J. P. & B. cap. I. n. X.* Bachovius: *Non ea tantum naturæ aliqvando asſcribi ſolent, qvæ à recta ratio-*

*ne*

*ne immediatè proſluxerunt, & dictata fuerunt, ſed quæ ſecundum ratio-ni illi conveniunt ex hypotheſi, ad Treutl vol.*II. *D. XXX th. I. lit. R.* Theodorus, Ariſtippi diſcipulus, opinione vulgi atq; Religioſorum furtum & adulterium turpia eſſe putavit, ſtultus ipſe, dum id conatus eſt asſerere, ne dicam impius, *Scip. Gentil. Lib. I. παρέργ. cap. XXI.* Sed & illi exorbitant, qvi jus naturæ gentium jus explicant in dictis legibus, *D. Hahn. Obſ. ad D. de ſerv. t. n. VII.* Ita in portu fere impingit Pacius *in Inſt. ad §. I. de jur. Nat. Gent. & Civ.*

XII. Deniq; pacta Familiarum Illuſtrium, minimè improbanda, caput primum claudent & conſignabunt. Tale inter Saxonum, & Haſſorum Principes Bodinus adhuc hodie agnoſci fatetur. Comprobationem iſtius pacti ad Carolum IV. & Sigismundum Imperatores refert, qvorũ ille anno M CCC LXX. velificatus eſt perennitati utriusq; Familiæ, ſi computatio Bodini fidem meretur. Limnæus enim *Lib. IV. Jur. Publ. cap. IIX. n. CLXI.* annum M CCC LXXIII. exprimit, ipſa confirmationis verba ſimul recenſens. Sed cum exiguo annorum intervallo disjuncti ſint Limnæus, & Bodinus, ſuſpenſum fere me detinent. Errat longè Wurmſerus *exerc. II. J. P. th. XX.* qvi pactum iſtud confraternitatis anno M CCCC XXII. à Carolo IV. confirmatum autumat. Etenim tempus illud ne attigit qvidem Carolus IV. autore Bellarmino *in chronol. ſub anno M CCC XLIIX.* Illud indagare operæ pretium eſt: An mutuo hocce ſucceſſionis pacto Marchiones Brandeburgenſes ſufficienter ſibi blandiri posſint? Non puto. Scilicet in re crepera & ancipiti præceps capienda via erat. Interim adire & audire licet D. Carpzov. *Diſput. de pacto confraternit. Saxon. Haſſ.* Arum. *Diſcurs. VI. ad A. B. th. VI.* Limn. *d. loc. n. CLXXII. & ſeqq.* Meminit præterea Bodinus alicujus pacti inter Bavariæ Duces, & Comites Palatinos initi: *Duces item Bavariæ, ac Palatini Comites jure familiari utuntur, cum in legitima bonorum ſuæ gentis ſucceſſione, tum etiam in Electoris imperiali munere.* Qvid actum ſit qvondam, mihi non ſuccurrit. Hac rerum facie in Collegium qvidem Electorale iterum cooptatus eſt Palatinus, at omnia jura, nullo prorſus excepto, Bavaro ſunt transmiſſa. Sed enim an Vicarius Imperii hodie exiſtat Bavarus, mortuo, abſente, renunciante, maje-

ſtate

ſtate deniq; exuto Imperatore, & num Judex ejusdem ſalutari mereatur, meum non erit definire. Qvicqvid ſit, ſpes Palatino ſupereſt recipiendi dignitatem priſtinam, deficiente lineâ Gvilhelmianâ maſculinâ, *per Inſtrum. Pac. Oſnabr. art. IV.* Mantiſſæ loco duo ſubjiciam. Primò Bodinus gentilia Principum jura beneficio Religioſæ Pacis renovata ait, poſt diuturnas bellorum civilium clades. At ego de pactis hujusmodi ſucceſſoriis nihil ibi reperio. Secundò tradit, *ad obſcuras familias hæc pacta non pertinere, ut jura publica, qvantum qvidem fieri poteſt, omnium communia ſint & eadem.* Sanè pacta ſucceſſionis reciproca nolim privatis demere penitus, *Treutl. Vol. I. D. VI th. IIX. lit. B. D. Carpzov. lib. V. reſponſ. jur. tit.* I. *reſp.* V. Reſiſtit enim favor militum, & conjugum favor reſiſtit.

## *CAPUT SECUNDUM.*

I. *Haud datur libertas nullis aſtricta legibus.*

II. *Libertatis deſiderium populo ſubdito non parit juſtam belli cauſam.*

III. *Princeps non omnibus ſolutus eſt legibus.*

IV. *Jus Naturæ an nunqvam aberret a Jure Divino?*

V. *Vocabulum concubinæ ambiguum eſt.*

VI. *An liceat marito injicere manus uxori?*

VII. *Inter deſponſatos ſtuprum non admittitur.*

IIX. *Tempus, qvo ſe exerit maritale imperium, explicatur.*

IX. *Filiofam. non denegandum imperium in uxorem.*

X. *Filia nondum emancipata nubens eſt in poteſtate mariti.*

XI. *Qvo ſenſu dicatur marito jus vitæ ac necis competiisſe?*

XII. *Pœna adulterii qvalis in fœmina Jure Juſtinianeo?*

XIII. *Ob graves inimicitias ſeparatio qvoad torum & menſam obtinet.*

XIV. *Inter conjuges non eſt locus famoſis actionibus.*

XV. *Libertas promiſcua divortiorum haud probanda, autoritate Magiſtratus eliminatâ.*

XVI. *Matrimonium mutuo conſenſu ſive potius diſſenſu an diſſolvendum?*

XVII. *Maritis debetur obſeqvium atq; reverentia.*

XIIX. *Interdum ſplendor à marito, interdum ab uxore pullulat.*

XIX. *Uxor ſeqvitur maritum exulem An & vagabundum?*

XX. *De dominio dotis. Item de differentia Juris Divini, ac Naturalis præcipientis & permittentis.*

I. PErduxit me ordo ad caput III. Bodini, cujus initium libertatem nullis aſtrictam legibus à natura datam inculcat. Verum ego, pace Bodini, nullam ejusmodi libertatem, legibus omnino ſolutam, agnoſco. Hinc Florentino *in L.IV. D. de ſtat. hominum libertas eſt naturalis facultas ejus, qvod cuiq; facere libet, niſi qvid vi, aut jure prohibetur.* Scilicet legum idcirco omnes ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. Deinde nec ad jus naturale poſitivum (ut Bodinus ſentire videtur) ſed ad negativum libertatem refero th.II. cap.IV. Obſtare dixeris, qvod libertini non naturæ, ſed domino acceptam ferant libertatem, ut malè concocta videatur definitio JCti. Summatim regero, per manumisſionem parari minimè novam libertatem, ſed facultatem illam, qvam ſervitus impediebat, reſtitui, *Ludwell. ad* §.1. *Inſt. de jur. perſon.*

II. Pergit Bodinus libertatem à natura concesſam alterius imperio ac poteſtati ſubjicere. Sed anne libertas ſive ſingulorum, ſive civitatum, i.e. *αὐτονομία*, qvaſi naturaliter & ſemper qvibusvis competat, jus bello præſtare poteſt? Negat Grotius *lib.*II. *de J.P.& B. c.*XXII. *n.*XI: *Libertas* (inqviens) *cum naturâ competere hominibus aut populis dicitur, id intelligendum eſt de jure naturæ præcedente factum omne humanum, & de libertate κατ' ςέρησιν, non de ea, qvæ eſt κατ' ἐναντιότητα, h.e. ut natura qvis ſervus non ſit, non ut jus habeat, ne unqvam ſerviat. Nam hoc ſenſu nemo liber eſt.*

III. Porro duplex eſt poteſtas Bodino noſtro, publicâ; & privata. Publicam, eorum nempe, qvi ſummum imperium habent, legibus ſolvit. Ego ſanè diſtingvendum eſſe reor (qvod & alibi Bodinum feciſſe comperior) inter Principem verè talem, & tyrannum, inter vim legis coactivam, ac directivam, *Fachin. lib.*I. *controv. jur. c.*II. *Excellentisſ. Dn. Ziegler. exercit.*I. *de Jurib. majeſtat. th.XV.* inter leges divinas, naturales, & poſitivas, *D. Hahn. Obſ. ad D. de LL. n.*VII. Nec modò legibus certis tenetur Princeps, ſed & contractibus ejusdem, qvos leges appellare detrecto, præeunte Grotio II. *de J.P.& B. c.*XIV. *n.*IX. obligatio ſubeſt, licet non eadem ubiq;. Princeps enim qvà privatus contrahens & civiliter & naturaliter obligatur; ut Princeps,

ceps, jure ſolo naturæ tenetur, *Grot. dict. loc. n.*VI. *Hahn. obſ. ad D. de conſtit. Princ. in fin.*

IV. De eo jure dubitatur: an ſemper congruum ſit juri divino? Ita ſentire videtur Bodinus: *Recta ratio à divina voluntate per ſe ipſa nunquam aberrat.* Illud enim verè ac propriè jus eſt naturale, qvod ex recta ratione & ſimplici hominis naturali notitia fluit, §.I. *Inſt. de J. N. G. & C.* Impropriè jus naturale dicitur, qvod natura omnia animalia docuit, *pr.* I. *eod. tit.* Neq; patior, illud ſecundarium, hoc primævum (ut loqvuntur) appellari. Disſentientem audire lubet Grotium: *Monemur cavere à dicto Covarruviæ, non pati humanam cognitionem, juris naturalis non ignaram, qvicqvam naturali ratione permitti, qvod apud Deum, qvi ipſamet natura eſt, non ſit idem permisſum. Nam Deus, qvi ita auctor eſt naturæ, ut & ſupra naturam agat libere, jus habet nobis leges præſcribendi etiam de his rebus, qvæ naturâ ſuâ liberæ, indefinitæq; ſunt, multoq; magis ut debeatur id, qvod naturâ honeſtum eſt, etſi non debitum.* Aliàs qværi ſolet: an jus naturale à Decalogo differat? Negat Frantzk. *Comm. in D. de J. & J. n.*CXIV. ſi effectum reſpexeris.

V. Veniamus ad imperium mariti, qvod uti adverſus uxorem illi largitur, ita in concubinam prorſus abnegat concubino Bodinus. At ſolvenda erit ambiguitas vocis concubinæ, ne mali aliqvid ubiq; ſuſpiceris audito nomine. Impropriè concubina veram qvidem notat uxorem, ſed qvæ concubina nuncupatur intuitu effectuum nonnullorum civilium, *D. Hahn. Obſ. ad D. de concubin.* Grotius: *Obſervandum eſt, concubinatum qvendam verum ac ratum eſſe conjugium, etſi effectibus qvibusdam Juris Civilis propriis privetur, aut etiam effectus qvosdam naturales impedimento legis civilis amittat, Lib.* II. *de J. P. & B. c.V. n.XV. Adde cap.*VII. *n.*IIX. Propriè concubina fœmina eſt ſoluta, minus honeſta, qvam qvis concubitus gratiâ alit, ſubmœnianarum oſor. De hac verba ſua concepit Politicus, cui neq; Jus Canonicum, neq; Jus Divinum vetus ac novum, neq; jus poſitivum novisſimum favet, odio turpitudinis. Cæteroqvi L.XXIV. *D. de rit. nuptiar.* pernicioſam æſtimare cum Bodino detrecto. Qvidni enim honeſtum potius, qvàm inhoneſtum

ſtum præſumere anheles? poſtqvam jure civili nuptias conſenſus facit, *L.XXX. D.de R.J.* eorum nempe qvi contrahunt, & qvorum in ſacris poſiti reperiuntur contrahentes, *Joh. Neldel. ad d.l.* XXX. Nonne filius ex uxore adulterii inſimulata natus legitimus præſumitur? Ita videtur Gallio II *obſ.* XCVII. *n.*VII. Non diffiteor tamen, Jure Canonico, & moribus noſtris absq; *ἱερολογία* juſtum neqvaqvam cenſeri matrimonium, *can.*III. III. *& ſeqq. c.*XXX. *q.*V. *can* XIX. *c.*XXXV. *q.*II. *&* III. *can.*IV. *c.*III. *q.*IV. *cap.*III. *de clandeſt. deſponſ.* qvamvis illa non ſit de esſentia, uti docet Hahnius noſter *obſ. ad D. de his qvi ſui vel alien. jur. n.*II. *Item de rit. nuptiar. n.V. Add.Cunr. Ritterhuſ. lib.* II. *different. Jur. Civ. & Can. c.*XIIX.

VI. Sed redeo ad imperium mariti, qvod usq; adeo extendit Bodinus, ut marito licentiam impertiatur injiciendi manus in uxorem. Jure mariti id minimè licere putaverim, *Petr. Theodoric. diſp X. colleg. crimin. th.*IV. *lit.B.* In gratiam qvippe imbellis ſexus hoc pugnat argumentum: Qvodcunq; nodum amoris conjugalis & propenſionis diſcindit, marito non eſt permittendum temere. Atqvi grasſari in uxorem verberibus nodum conjugalis amoris & propenſionis diſcindit. Ergo grasſari in uxorem verberibus marito non eſt permittendum. Chryſoſthomus: *Nullum ſit tam magnum peccatum, qvod ad verberandam uxorem vos viros compellat. Ultima namq; ignominia eſt non ejus, qvi verberatur, ſed qvi verberat.* Nihilominus alii modicam caſtigationem non invident marito, provocato nimiopere. Sicubi autem animadverſione & caſtigatione opus eſt, ea contumeliâ vacare debet. Svadet hoc *Nov.*CXVII. *c.*XIV. *Add. Joh.Oldendorp. claſſ.*VII. *art.*XII.

VII. Plus momenti habet, qvod Bodino placet, ſponſum in ſponſam involantem, eiq; ſtuprum inferentem capite puniendum esſe. Suffragium tegit, imo verò negat *L un.C.de rapt. virgin.* in qva ſponſam ſuam per vim rapiens haud meretur impunitatem. Suppoſititium aliis videtur ſponſæ vocabulum, *Gothofr. ad d. L. un. lit.H.* Qvicqvid id eſt, raptum & ſtuprum differre nemo ambigit. Sed nec ſtuprum inter deſponſatos admitti dixerim, licet Ordinationem Eccleſiæ contemptim

con-

conterant effræni libidinis impetu agitati. Deniq; nec violentiam inter eos præsumo, qvi animo juncti corporum conjunctionem non adeo abhorrent anticipatam.

IIX. Abſta corporum conjunctione tempus auſpicatur Bodinus, qvo imperii maritalis ſplendor ſeſe exerit: *Sic ſtatuo* (inqvit) *non eſſe partum ejusmodi contractu maritale imperium, niſi maritum uxor ſecuta fuerit, cum Theologorum, ac Pontificum decretis, qvorum maxima eſt autoritas, qvoties de jure connubiorum diſputatur, vix ulla nuptiarum ratio habeatur, niſi corporum mutua conjunctione contractæ ſint. Qvod multarum gentium moribus diſertè exceptum eſt, cum de communicandis utilitatibus, qvæ ex connubio qvæſitæ fuerint, diſputatur. Sed poſt eam, qvam diximus, maris ac fœminæ legitimam conjunctionem uxor eſt in poteſtate mariti.* Totus hic diverſus ſum à Bodino. Primò non aſtipulor connubium appellanti contractum, licet idem velit Weſembec. *parat. ad D. de ſponſal. n.*I. alios contractus rerum, alios perſonarum oſtentans. Ego verò omnes omnino contractus rerum, nullos perſonarum eſſe ſummâ defendam confidentiâ. Nec Ludovicus Molina matrimonium inter contractus conſenſu fretos bellè collocat. Summatim matrimonium non eſſe contractum exiſtimo, niſi latiſſimè. Deinde ſatis minimè facit Bodinus, qvi conjunctis demum corporibus mariti imperium ſuſcitari autor eſt. Ergone imperium illi præripies, qvi ob impotentiam coire neqvit, qvam vel caſu, vel ætate contraxit? Rectius ſtatim poſt *ἱερολογίας* imperio maritali vela pandimus. Deniq; utilitates matrimonii non niſi poſt arctam eam conjunctionem Bodinus communicari cenſet. Sanè ubi ſtatuto invaluit ſucceſſio conjugum invicem, illa non expirat, ſi alteruter poſt actum *ἱερολογίας* reliqvias ſpiritus egerit, nondum mixtis corporibus, *Hahn. Obſ. ad D. de ſponſal.* In hiſce verò terris ingreſſum tori conjugalis deſiderari me haudqvaqvam latet, inſpectâ conſtitutione XIX. Electoris Auguſti *part.*III.

IX. De filio familias qværitur, an in uxorem habeat imperium? Inficiatur Bodinus, fulciens ſententiam ſuam benivolentiâ tituli inſtitutionum, qvibus modis jus poteſtatis ſolvitur. At

ruinæ proximus eſt, niſi adhibuerit repagula, optanda magis, qvàm ſperanda. Niſi fallor, decepit eum Ulpianus malè intellectus: *In ſua poteſtate non videtur habere, qvi non eſt ſuæ poteſtatis, L.XXI.D. ad L. Jul. de adult.* Porro graviter molesteq; fero, dum Bodinus uxorem ſui juris, ſi filiofam. nupſerit, & in ſoceri domum commearit, unà cum marito ſoceri poteſtatem ſubire amat, invitâ admodum jurisprudentiâ. Etenim ſi rem nobiſcum rectâ reputamus viâ, in poteſtate noſtra ſunt liberi ex juſtis nuptiis procreati, *pr. I. de patr. poteſt.* legitimati, *§. fin. I. de nupt.* adoptati, *tot. tit. I. de adopt.*

X. Nec minus iniqvus eſt Bodinus juri noſtro, iniqvitatem illi obtrudens: *Ac profecto iniqvum videtur, qvod legibus Romanis cautum eſt, niſi filiafam. emancipata ſit à patre, etiamſi deſertâ domo paternâ mariti domicilium ſeqvatur, non ſit in mariti, ſed in patris poteſtate futura.* Litori loqvitur, nec qvicquam farragine legum proficit. Subit verò Treutlerum mirari, qvod is *Vol. II. Diſp. VI. th. VII. lit I.* comitem ſe præbeat vel ſectatorem, cujus conatum refutat Bachovius, ut verbis meis non opus ſit. Qvod annectit Bodinus, moribus noſtris paternâ poteſtate eximi filiam, qvæ maritum elegit, pervulgatum eſt Jure Saxonico, *D. Habn. Obs. ad D. de his qui ſui vel alien. Jur.* Secus eſt in filio eo jure, *D. Ludwell. ad §. VI. I. qvib. mod. jus poteſt ſolvit. D Habn. obs. ad D. de adopt n. VII. Add. conſtitut. Elector. Auguſt. X. part. II. Georg.* Schultz. *Synops. Inſtit. qvib. mod. jus poteſt. ſolvit. §. VI. lit. D.*

XI. Sed nec qvod de jure vitæ ac necis in uxorem Bodinus memorat, aliter explicare amo, qvàm de impunitate forte agendi, qvæ impropriè jus dicitur. Nam primum lex jus necis non habet in omnes, ex qvovis delicto, ſed demum ex delicto tam gravi, ut mortem mereatur. Deinde lex nec debet, nec ſolet jus dare, etiam eos, qvi mortem meruerunt, privatim interficiendi, niſi in criminibus valde atrocibus. Alioqui fruſtra inſtituta eſſet judiciorum autoritas, *Grot. II. de J. P. & B. c I. n. XIV.* Imo verò nec impunitatem mereri dixerim maritum, qvi uxorem in adulterio deprehenſam impetu tractus doloris interfecit, *L. XXXIIX. §. IIX. D. ad L. Jul. de adult.* Adulterii ream porro qvod

qvod attinet ad conjugem, iſtius pœnam proximorum arbitrio qvondam permiſſam fuiſſe ex Bodino accipimus. At nec hodie maritus ſolus genialis tori vindex eſt, ſed etiam proximis, neceſſariisq; perſonis copiam accuſandi deferri placuit, *L.* XXX. *C.ad L. Jul. de adult.* non aliis, *D. Ludwell. ad §. Ɩ. Inſt. de publ. judic.* Qvid ſi uxor adulterii rea lenocinium allegaverit, an repellet maritum ab accuſatione? Lenocinium maritum qvidem onerat, non tamen excuſat mulierem, *L II §. V. D. Jul. de adulter.* Extraneus autem neqvaqvam lenocinium objiciens, poſteaqvam reus factus eſt, ſe relevabit, nec maritum pœnæ ſubjiciet, *d.l. II. §. VII. Varietatis ratio hæc eſt,* autore Cujacio *Lib.* XX. *obſerv. c.VII. qvia uxor, qvæ marito lenocinium objicit, retorqvet in eum crimen, & cuilibet reo qvandocunq; retorqvere crimen licet in accuſatorem. Extraneus objecto lenocinio non retorqvet crimen, qvoniam non ipſe lenocinio pellectus eſt, ſed mulier. Add. Rittersbus part.IV. Jur. Juſtin. cap.X.n.V,*

XII. Cæterum ſi Bodino asſentimur, ab adulterii pœna immunes reddidit fœminas Juſtinianus: *Theodora* (ait) *Juſtiniani Aug. uxor, qvæ faſces imperii marito ſanè ſtupido & illiterato principi ademerat, cum omnia beneficia fœminis adverſus maritos tribueret, eas etiam adulterii pœnâ liberavit.* Non diffiteor qvidem, jure Juſtinianeo mitiorem dictatam fuiſſe pœnam uxoribus, qvâm viris adulteris; attamen vix præſumo, Legislatorem contemptâ enormitate delicti ſibi qvicqvam perſvaderi pasſum fuiſſe. Alia mitigationis ratio arridet Carpzovio *part. II. crimin. quæſt. LIII. n.X.* Sed nec vela ita famæ ſuæ dediſſe auguror Juſtinianum, ut faſces imperii, verè faſces, conjugi transmitteret, niſi eos, qvi conſiliis interdum aſſiſtunt, imperare dixeris, illos, qvi conſilia expetunt, parere. Deniq; qvâ fronte ſtupidum atq; illiteratum exclamare Juſtinianum noſtrum potuerit Bodinus me latet, niſi impudentiam & veri odium allegaveris. Adi ſaltem & audi D. Arumæum *Vol.I. diſcurs. Academ. de jur. publ. diſc.* XXXIV. *th. III.* D. Ungepauer. *exerc. Juſtin. I.* D.Ludvvell. *diſp. I. ad Inſt. th. II. lit.* C.D. Adam. Ricc. *de qvantit. & qvalitat. Jur. Rom. aphor. XIII.* Platin. *de vit. Pontif. Roman. ſub Bonif. II.* eruditionem Principis commendantes. Seqvi hunc alios

Princi-

Principes convenit, ut ipſi regant, non regantur à ſycophantis. Sufficiet autem illa noſſe, qvæ commendent, & juvent, *Lipſ. I. Polit. c. X. §.* XIV. *in not. Zevecot. obſer. Polit. ad Sveton. Cæſar. c. LVI.*

XIII. Præter adulterium, cujus ante memini, ſola malitioſa deſertio operatur divortium. Sævitia qvippe intolerabilis, ut & inſidiæ, atq; inimicitiæ capitales torum modò ac menſam ſeparant, cum ſemper fere ſpes reconciliationis ſubſit, *D. Hahn. obs. ad D. de divort. & repud. n.* IX. *Add. D. Carpzov. lib. II. Juriſprud. Conſiſtor. tit.* XII. *defin.* CCX. Apparet hinc, qvid tribuendum ſit Bodino: *Noſtris moribus integrum eſt uxori ob injurias graves illatas à marito repudium in jure petere. Neq; enim injuriarum actio conjugibus inter ſe permitti debet.* Qvaſi verò nullum aliàs ſuppeteret remedium abolendæ injuriæ? Hic illud qværam: an maritus ab uxore ob ſævitiam ſejunctus reſtituere teneatur bona dotalia, adempto penitus uſufructu? Non puto. Sed nec ſucceſſione, aut portione, vigore ſtatuti alicujus fortè debitâ, privari meretur. *Finckelth obs.* XXXI.

XIV. Illud rectius aſſeritur à Bodino, expilatæ hæreditatis, & furti actionem conjugibus inter ſe, aut hæredibus alterutrius adverſus alterum lege prohiberi, propter connubii dignitatem, *L. I. L. II. D. de act. rer. amot. L. II. C. de crimin. expilat. hæred.* Sed qværitur, an in ſolidum, an verò in id tantum, qvod ad illos pervenerit, teneantur hæredes? Poſterius amplector ſvaſu *L. III. C. rer. amotar.* Oppones, qvod rerum amotarum actio ſit rei perſecutoria, *L.* XXVI. *D de action. rer. amot.* qvalis in ſolidum adverſus hæredes dari ſvevit, *L.* XII. *D. de O. & A.* Reſponſio eſt in promptu. Sed nec officit mihi *L. VI. §. IV. D. de act. rer. amotar. junct. L.* IX. *D. de condiction. furtiv.*

XV. Qvem laudavi modò, denuo in ſcyllam incidere comperior Bodinum, *dum ad ſuperbiam fœminarum, & maritorum iracundiam coërcendam nullam ſanctiorem legem reperit, quam quæ repudiandæ uxoris jus integrum dat marito, ſi vel minimum ei diſplicuerit.* Prorſus nihil abeſt, qvin Carvilianum ſeculum reducat Bodinus, à qvo abhorrent leges noſtræ, ut ſibi res ſuas meritò habeat. Præterea *nihil pernicioſius videtur Bodino, quàm conjugem,*

*jugem, qui repudia qværat, non aliter id impetrare poſſe, qvàm cauſâ Judicibus probatâ.* Ego certè perniciofiſſimam iſtam ſententiam in vitio pono. Egregiè D. Carpzovius: *Multum differt ſeparatio conjugum qvoad torum & menſam à vero divortio, ut haud parum errent Canoniſtæ, hæcce duo confundentes. Conveniunt nihilominus in eo, qvod nec divortium, nec ſeparatio qvoad torum & menſam propriè fieri qveat auſu conjugum, ſed Magiſtratus eccleſiaſtici autoritas accedat neceſſe eſt, lib.II. Jurisprud.Conſiſtor. tit.XII. defin.CCXI. num.I. II.* Diſſentit Bellarmin. *de matrim. c.XIV.* ſeparationem qvoad torum privato conjugum arbitrio relinqvens. At licentiam hanc de eo caſu ſolo largitur Carpzovius, qvo propter obſcœnitatem innocens ab adultera abſtinet, ne crimen condonaſſe exiſtimetur. Neq; tantùm Magiſtratus authoritatem deſidero magnopere, ſed & cauſa exponenda erit rupturæ. Ita D. Carpzovius: *Cum ſeparatio non obtineat, niſi juſta ſubſit cauſa, haud certè fieri poterit absq; prævia cognitione Magiſtratus, cujus ſolius judicio permittendum, qvænam cauſa probabilis & ſufficiens habeatur, dict. loc. n.VII. Confer Arnold. Corvin. aphoriſm. ad jus Can. lib II. tit.XV. XVII.*

XVI. Poſtqvam verò exemplis Hebræorum contrariis ſatis debacchatus eſt Bodinus, denuo ad libidinem ſuam agitat Juſtinianum immeritum: *Anaſtaſius repudium utriusq; conſenſu impune fieri permiſit, L.IX. C. de repud. qvod ab Juſtiniano, vel potius à Theodora conjuge abrogatum eſt, auth. qvod hodie. C. ead. tit. Utrum magis expediat Reip. ſatis opinor ex iis, qvæ diximus, intelligi poteſt.* Jure ſanè reprobata eſt illa Anaſtaſii conſtitutio. Nec enim licentia Judaica repudiorum inter Chriſtianos exaudiri debet. Minimè tamen diffiteor, Juſtinum II. in partes Anaſtaſii conceſſiſſe *Nov.CXL.* abrogatâ patris adoptivi conſtitutione, *Rittershuſ. part.IV. Jur. Juſtin. c.VII. n.VII.*

XVII. Qvæcunq; tandem fuerit legum viciſſitudo, qvam interdum utilem, imo neceſſariam prædico, *D.Reinking. de R. S. & E. Lib. II. cl. II. cap. V. D. Ungep. exerc. Juſtin. II. qv. IX.* omnes in eo conſpirant, deberi marito ab uxore obſeqvium, & reverentiam. Inde prono pede ſeqvitur, haud potuiſſe ſine venia Magiſtratus in jus vocari maritum ab uxore, qvod præter

Bodinum Cujacio *Lib.*X. *obſerv. c.*X. Arnold. de Reyger. *th. II. proceſſ judiciar. th.*XV. Rittershuſio *part.*IX. *Jur. Juſtin. cap.* XI. *n.*XVI. placet, ſuccurrente *L.*XIV. §.I. *D. ſolut. matrimon. ad L.* *L.*XIII. *D. de in jus voc.* Perverſi itaq; Lacedæmonii, qvos ſervos pœnæ jocosè vocat Bodinus, dum patientiâ ſuâ & obſeqvio mitigabant uxores, dominas appellantes. Cæterum dominæ appellatione ſalutare uxorem probroſum non eſt, niſi ſervile obſeqvium accesſerit. Ita in jure noſtro uxores nuncupari conſveverunt dominæ, *L.*XIX. §.I. *D. de ann. legat. L.I. D. rer. amot. L.*XLI. *pr. D. de legat.III. ſed iſte dominatus non debet eſſe ultra colum, penſum, & fuſum*, verba ſunt Gailii. *II. obſ.*CXLIV. *n. III. Add. Petr. Gregor. Tholoſ. ſyntagm. Jur. univerſ. Lib.*XI. *c.*III. *n.* III. *D. Ungep. exerc. Juſtin.* I. *qv.*VI. *Chasſan. catal. glor. mundi conſid.*XXXI. *D. Limn. Lib.*IV. *Jur. Publ. c.*VI. *n.*LXV. Incidit hic lex iſta regia, cujus memoriam Sexto Papirio debemus: *Mulier viro legitimè conjuncta fortunarum & ſacrorum ſocia illi eſto, utq; domus ille dominus, ita hæc domina.* Abrumpam pervulgato Ariſtotelis veriverbio *Lib.*IIX. *Ethic. c.*XII: ἐνίοτε ἄρχουσιν αἱ γυναῖκες ἐπίκληροι οὖσαι.

XIIX. Illud non abs re monet Bodinus, uxorem à viro ſplendorem, velut à ſole, mutuari. Nonnulli cum ſponſa qvoq; decus iſtud benignisſimè communicant, *Joſ. Neld. de Jur. nobil. c.*LIII. Hinc fœmina nobilis ignobili nubens partam nobilitatem amittit, *L.*IIX. *D. de ſenator.* Obſtare dixeris Ulpiano, ut & Bodino, qvod nobilitas illa, de qva ſermo eſt, ſangvinis accepta feratur. At ſangvinis jura minimè tolluntur lege civili, *L.XXXIV. D. de pact. L. IIX. D. de R.J.* Perezius: *Mulier illuſtris nubens inferioris ordinis viro nobilitatem generis non omnino tollit, ſed obſcurat, & obumbrat qvâdam caligine. Ita maximâ & mediâ capitis diminutione non cognatio ipſa, ſed ejus jus expirare dicitur, §.VI. I. de capit. dimin. Moribus autem qvorundam gentium non planè obſcuratur nobilitas mulierum illuſtrium, nuptias contrahendo cum abjectæ conditionis Viris, qvos & olim quidem tributum certis familiis, nunc pasſim productum ad illuſtres dominas, qvæ Comitisſæ ſunt, aut Ducisſæ, ut maritos nobilitent, & Comitatus aut Ducatus dignitatem in eos transferant, quod conjun-*

ctio

*Sero maritalis, divini humaniq; juris communicatio, id poſtulare videatur, licet juri communi repugnet. Nam per matrimonii conjunctionem cum qvacunq; uxor efficitur de familia Viri, non autem vir de familia Uxoris, cujus caput ſemper eſt maritus, L. CXCV. D. de V. S. Hinc in Anglia, Svecia, Dania Regina nubens marito ignobili eum qvidem Regem non facit, & juramentum fidelitatis Reginæ præſtatur, non marito; attamen hic aliqvo modo coruſcat radiis ſuæ uxoris. At in Hiſpania matrimonio contracto cum Regina ſtatim maritus conſeqvitur regiam dignitatem, & administrationem, prælect. in C. de dignitat. n. XLIX.*

XIX. Sed & hoc incorruptè Bodinus docet, qvod maritus exul & extorris ſeqvacem habeat uxorem. Conferas velim Gail. II. *de P. P. c.* X. *n.* XIIX. Qvid de vagabundo ſentire conveniat, prolixum erit explicare. Commendo Treutl. *vol. II. Diſp. IV. th VII. lit. I.* Schneidevv. *Comm. in Inſt tit. de nupt. part. II. n. XLVII. XLIIX.* Vagabundum deſcribit Gailius *I. obſ. I. n. XXXIV.*

XX. Supereſt in Capite tertio, ut dominium dotis exploremus, Bodino ignotum, qvem in ſcholam juris reverti jubet Cujacius *Lib.* XIX *obſ.* XXXIIX. è qva ſe rudiorem nimis in forum immiſit. Ait enim: *Prædiis omnibus uxoris ſuo jure uti frui poteſt maritus.* Omnia uxoris prædia concedere marito renuo. Igitur ſeparanda bona dotalia, parapherna, receptitia, *Mynſing. ſchol. ad Inſt. de excuſ. tutor.* §. XIX. *Gail. I. obſ.* CXXIII. *n.* V. *Add. Gothofr. ad L* IX. § III. *D. de J. D. lit. II.* Ad res dotales qvod attinet, de qvibus hic præciſe ſermo eſt, dominii in legibus noſtris mentionem injici comperior, non uſusfructus, at ut circa dominium illud definiendum nō omnes conveniant. Liceat, itaq; cum Valentino Riemero *decad* II. *qvæſt. illuſtr. I.* diſtingvere. In nonnullis rebus dotalibus ſoli marito dominium competit, qvales ſunt res æſtimatæ, *L* X. *pr. L* XII. *pr.* D. *L. X. C. de J.* D. *L. un.* §. IX. *C. de R. U. A.* Huc etiam eæ pertinent, qvæ pondere, numero, & menſurâ conſtant, *L.* XLII. D. *de J.* D. Sunt enim ſua naturâ tales, ut cenſeantur à lege æſtimatæ, *Gothofred. add. L.* XLII. *lit.* D. In aliis rebus naturale qvidem dominium eſt uxori, ſed legum ſubtilitate

tranſitus earum in patrimonium mariti fieri videtur, ita tamen, ut rei veritas neq; deleta, neq; confuſa ſit, [illegible] Porro qvod de dote æſtimata asſerui, haud indiſtincte exaudiri velim. Diſtingvendum enim esſe arbitror cum [illegible] *Coll. Leg. al. qvæſt. I^r ſemidec.* utrum dos æſtimata venditionis an ſaltem taxationis causâ fuerit data? Rerum qvippe taxationis causâ æſtimatarum eadem eſt ratio, qvæ inæſtimatarum. Et hanc de dominio dotis ſententiam ante annos aliqvot Præſide de Excellentisſimo Dn. D. Suevo alacriter propugnavi ad JUS DOTIUM attentus, & propugnabo ulterius jusſu legislatoris. Deniq; Bodino pacta conventa cum Legibus Dei, & Naturæ pugnantia ferre nolenti, etſi jurejurando firmata fuerint, irrita conſtituit Balthaſ. Cellar. *Lib.* I. *Polit. c.* II. *th.* XXX. ne juris prudentia jura cum permittentibus confundantur [illegible].

## *CAPUT TERTIUM.*


I. *An ſola poteſtas in liberos ſit à natura?*

II. *Alimenta liberis debentur à Parentibus; & contra.*

III. *Liberis obſeqvioſis an debeatur præmium?*

IV. *Inter patrem & filium locus eſt pœnæ.*

V. *Qvæ pœna parricidii?*

VI. *Jus vitæ ac necis juſtisſimè ademptum Parentibus.*

VII. *Conſvetudo legem antiqvare valet.*

IIX. *Qvale jus patris in bonis adventitiis.*

IX. *De emancipatione nonnulla.*

X. *Ut & de alimentis liberorum.*

XI. *In hodiernum usq; diem poteſtas patria viget.*

XII. *An liceat Patri vim inferenti reſiſtere?*

XIII. *Pater interfector liberorũ impunitate dignus eſt minimè.*

XIV. *Præter exheredationis cauſas in Nov.* CXV. *c.* III. *expresſas adhuc alias agnoſcimus.*

XV. *Legitima filiorum [illegible] non induxit contemptum Parentum, ſed amorem eorum.*

XVI. *Adoptionum jura non antiqvavit Juſtinianus.*

XVII. *Defenditur Agellius.*

XIIX. *Adoptivi an regnorum capaces?*

XIX. *Bello capti quondam ſervi fiebant jure gentium.*

XX. *Debitores obærati an addicti olim creditoribus?*

XXI. *Servitus aliqva ſecundum naturam recte dicitur.*

XXII. *An ſervos agnoverint Germani?*

XXIII. *Jure Hebræorum an obligati fuerint alienigenæ?*


I. Hacte-

I. HActenus intentis oculis omnes Capitis III. partes intueri ſuperfuit. Seqvitur Caput IV. & V. qvæ conjungam hoc capite, ut de imperio Patris, & Domini ſimul conſtet. Offendit autem ſtatim in limine Cap. IV. *Bodinus*, ſolam poteſtatem in liberos naturæ acceptam ferendo. Hanc opinionem non ante enervabo, qvam ſupplemento aſtiterim Bodino, patriam poteſtatem ab origine evocanti: *Recta diſciplina patris ac liberorum pendet a patria poteſtate, qvam vel NATURA, vel DEUS ipſe, NATURÆ PARENS Opt. Max. unicuiq; in liberos dedit, vel ipſa LEX in eos, qvos qvisq; ſibi adoptat.* Imo LEX in illos præterea poteſtatem tribuit, qvi vel per ſubſeqvens matrimonium, vel reſcripto Principis legitimi exiſtunt. Oblatio quippe curiæ mutatâ Rep. obſolevit, *D. Ludw. Comm. in Inſtit. de nupt. §. fin. & Diſp. II. ad Lib. VII. lit. F. D. Hahn. Obſ. ad D. de his qvi ſui vel alien. jur. Schotan. in exam. Jurid.* nec oblationem monaſterio factam in iſtius locum recte ſuffectam dixeris, *Hahn. alleg. loc.* Sed neq; novum qvendam legitimandi modum cum Pacio comminiſcimur, qvem ille è *Nov.* CXVII. *c.* II. hodiè petit, profligatum ab Ungepauero *exercit. Juſtin.* IX. *qv.* VI. A ſupplemento defectus ad errorem Bodini me converto, qvem non obſcurè fovet, Senecæ præmittens verba: *Princeps in ſubditos poteſtatem habet, magiſtratus in privatos, pater in liberos, magiſter in diſcipulos, imperator in milites, dominus in ſervos. Ex his tamen omnibus imperandi jus ac poteſtas eſt à natura nemini tributa, præterqvam patri, qvæ vera eſt Dei præpotentis ac maximi rerum omnium parentis imago, ac ſimulacrum.* Oppono Hahnium: *Juris Naturalis propriè dicti eſt ordo parentium & imperantium, qvo ſine nulla Reſp. conſiſtere poteſt, Obſ. ad D. de* J. *&* J. *n.* XIV. Sed & inter animalia ſocietates vigent, ac imperii qvædam imago conſpicitur, *can.* XLI. *c.* VII. *q.* I. ſimulacrum Juris naturalis impropriè dicti. Inſtar omnium erit tractatus Joh. Loccenii de Rep. apum, dulcis ac jucundæ varietatis. Inde propatulum eſt, qvâ fronte Weſembec. *paratit. ad* D. *de* J. *&* J. negare potuerit jus publicum ex præceptis naturalibus petitum eſſe. Partes meas contra Weſembecium maſculè fovent D. Hahn. *ibid.* D. Ludw. *Comm. in Inſt. §. fin. de* J. *&* J. D. Wurm-

ſer. *exerc.I. J. P. th.III.* Majus negotium poteſtas domini in ſervos faceſſere mihi videtur, qvam à natura derivant Philoſophi naturæ contrariam propugnant JCti. Ego qvid hac de re ſententiam th.XXI.hujus Capitis patefaciam,ut neq; JCtis, neq; Philoſophis injurius reperiar. Sanè Poſidonius Stoicus multos olim fuiſſe notavit, qvi ſuæ imbecillitatis conſcii ſponte ſe aliis in ſervitutem darent.

II. Ad paternum redeo imperium,qvod prima lex ſecundæ tabulæ Decalogi propoſito præmio liberis commendat. Hi veró an alimenta in parentes erogare teneantur inſtinctu pietatis qværitur? Bodinus : *Qvemadmodum pater filios educare, & honeſtis artibus erudire tenetur, ita liberi Parentes alere ac ſuſtentare debent.* Mehercule inter cauſas mutationis Rerump. humanas primam pono pravam & neglectam educationem. Si enim homines vitiis à teneris asſveverint,facile in iis confirmabuntur adultâ ætate. Malè veró educatos,& vitiis induratos audaciâ,rerumq; deſperatione armatos corrumpere Remp. experientiam teſtem advoco. Culpa autem perverſæ educationis vel parentibus, vel præceptoribus, vel diſcipulis, vel eorum ſociis impingi poteſt,*Loccen.Lib.I de ordinand. Rep. cap.IV.* De parentibus impræſentiarum nobis ſermo eſt, qvorum cura prima erit,ut liberos doctiores potius & meliores, qvàm ditiores reddant. Bene qvippe educatus & inſtitutus,qvamvis egenus, animi tamen bonis locuples fortunæ bona affatim acquiret. Loco hoc obiter monebo, inſulsè encomium Juris noſtri peti è Novell. I. in fine : *Lex neminem neq; in paupertate vivere, neq; in anxietate mori permittit.* Agit enim textus de Lege Falcidia, ejusq; utilitatem commendat, *Rittershus.part II. Jur. Juſtin.c.I. n.XVI.* Porro alimenta qvoq; à parentibus debentur liberis, *L. IIX.§.V.C.de bonis,qvæ liberis in poteſt.patr.conſtit.ex matrim.vel aliàs acqvirunt.Grot.II. de J.P. & B.c.VII. n. IV.* exceptis inceſtis,qvibus nec Civile,nec Canonicum Jus favet.Utrumq; enim verbum educare inſinuat,qvo Bodinus utitur. Vice verſa Parentes alere tenentur liberi, qvod non legibus tantum proditum eſt, ſed vulgari proverbio ἀντιπελαργεῖν. Par tamen obligatio utrinq; non eſt, nec ſimile Bodini eam inducit. Simile

enim

enim non eſt idem,ut Dialectici loqvuntur. Grotius: *Debentur qvidem & Parentibus alimenta, ſed non hoc æqvè eſt ordinarium, atq; illud qvod de liberis diximus. Nam liberi, cum naſcuntur, nihil ſecum afferunt, unde vivant: adde, qvod vivendum diutius habent, qvàm parentes. Atq; ideo ſicut honor & obſeqvium parentibus debetur, non liberis, ita educatio liberis magis, qvàm parentibus, II. de J. P. & B. c. VII. n. V.* Unicè qværam: An inceſtuoſum patrem alere teneantur liberi? Affirmo cùm Hahnio *obs. ad D. de agnoſc. & alend. liber. circa fin.*

III. Id dextrè Bodinus aſtruit, qvod pro tuenda parentum ſalute ſuam periculis omnibus opponere debeant liberi. Nec modò perſonas neceſſarias, ſed & extraneas prorſus periculo liberare convenit, Natura enim cognationem qvandam inter nos conſtituit, *L. III D. de J. & J. D. Carpzov. part I. pract. crimin. q. XXXII.* Grotius: *Honeſtius eſt, alienas injurias, qvàm ſuas vindicare, qvanto in ſuis magis metuendum eſt, ne qvis doloris ſui ſenſu aut modum excedat, aut certè animum inficiat, II. de J. P. & B. c. XX. n. XL.* Præmium autem an debeatur liberis obſeqvioſis dubium Bodinus reddit, qvod officio nullam mercedem deberi velit. Sed abſurdum non eſt, ut qvis præmio ad officium provocetur. Mandatum, niſi gratuitum, nullum eſt, cum originem ex officio atq; amicitia trahat. Contrarium ergo eſt officio merces, *L. I. §. IV. D. mandat.* Ergone honorarium omne intervenire detrectas? Vix poteris propter *L. VI. pr. D. dict. tit. Add. D. Ludwell. ad §. fin. Inſt. de mandat.* Et ne mirum hoc alicui videatur atq; inſolens, ſciat, poſſe ipſum patrem filii beneficia donis remunerare, *Hahn. obs. ad D. de donat. n. IV. Gail. II. obs. XXXIIX.* Sicuti verò gloriam conſeqvuntur liberi parentum cultores: *ita nulla execratio major in ſacris libris, qvàm adverſus eum, qvi ad malè tecta patris pudenda ſceleratè arriſiſſet*, verba ſunt Bodini S. Ambroſius *lib. I. de offic. cap.* XIIX. *circa finem: Si caſu aperiantur partes abſcondendæ, confunditur verecundia: ſi ſtudio, impudentia æſtimatur. Unde & filius Noæ Cham offenſam retulit, qvia nudatum videns patrem riſit. Qvi autem operuerunt patrem, acceperunt benedictionis gratiam. Ex qvo mos vetus in Urbe Roma, & in plerisq; civitatibus fuit, ut filii puberes cum parentibus, vel generi*

1527.

*neri cum ſoceris non lavarent, ne paterna reverentiæ autoritas minueretur, licet pleriq; ſe & in lavacro, qvantum poſſunt, tegant, ut vel illic, ubi nudum totum eſt corpus, hujusmodi intecta ſit portio.*

IV. Igitur *ſi tanta eſt liberorum erga Parentes officiorum obligatio,* ( ex ore Bodini loqvor ) *qvibus ſuppliciis dignos exiſtimare debemus, qvi adverſus eos contumaces ſunt ac injurioſi? Qvæ pœnarum acerbitas ſufficiat, qvi iisdem manus intulerint?* Diſſentiet qvisqvam fiduciâ hujus argumenti nixus: Inter qvoscunq; nulla eſt juſtitia, inter eos pœnæ ſilent. Atqvi inter patrem & filium nulla eſt juſtitia. Ergo inter patrem & filium pœnæ ſilent. Ratio majoris eſt, qvod pœnæ impoſitio ex juſtitia fluat. Minorem Ariſtoteli acceptam fero, *V. Ethic. VI.* inculcatam. Sed & Hahnius *obs. ad D. de J. & J. n. X.* non ex juſtitia, ſed pietate derivat, qvod parentibus obedire teneantur liberi. Reſpondeo, Patrem & Filium formaliter ac materialiter ( ut loqvuntur ) conſiderari poſſe. Priori caſu debitum pietatis fundant: poſteriori juſtitiæ, *Habn. obs. ad D. de obſeq. parentib. & patron. præſtand.*

V. Poſtqvam adeo pœnæ inter patrem & filium locum dedi, in pœnam parricidii inqvirere juvat. Bodinus: *Lege Pompeja ſupplicium magis novum ac inuſitatum, qvam tanto ſcelere dignum decernitur.* Pœnam culei reſpicere videtur, qvam tribuere velle legi Pompejæ, eſt infringere autoritatem *L. I. D. ad L. Pomp. de parricid.* Confirmavit fortean, aut certè non antiqvavit pœnam illam lex Pompeja, *Weſemb. parat. ad D. dict. tit n. III.* Scilicet pœnis propoſitis *conſceleratos oportet ab imimanibus flagitiis deterrere,* monente Bodino. Ergone ante legem pœnalem conſtitutam pœnæ locus eſſe neqvit? Grotius: *Ante legem pœnalem conſtitutam dubium non eſt, qvin pœnæ locus eſſe posſit, qvia naturaliter qvi deliqvit in eo ſtatu eſt, ut puniri licitè posſit, II. d. J. P. & P. c. XX. n.* XXII. Apparet inde, non eſſe pœnam immediatè ex lege, ſed delicto, qvod lex vetat, ut probare neqveam ſingulas legis virtutes *in L. VII. D. de LL.* enumeratas. Cæteroqvin & Jure Civili & Naturæ licitè de crimine, qvod pœna ſangvinis manet, transigitur, *D. Hahn. obs. ad D. de transact. n. V.* Fortè nec Jus Divinum obfirmatè reſiſtit, *D. Ungep. exerc. Juſtin. XIV. q. VI.* Totus

neq;

neq; impune ferunt liberi, qvi parentes verberant. *Lege* qvippe *Serviâ propoſitum iis erat capitale ſupplicium.* Juſtinianus exhæredationis pœnam dictat filio manus inferenti parentibus, *Nov.CXV.c.III. § I. Add. Schneidewin.Comm. in Inſt. de patr. poteſt. n.XXVII.* Hodie præterea jus eſt patri ejiciendi ſentinam Reip. liberosq; inmorigeros ob vernilitatem ergaſtulis includendi, qvæ Zuchthäuſer vulgo appellant, *D. Reinking. de R. S & E. lib. II. cl.I.c.VII.n.V. D.Hahn. obs. ad D. de obſeq. parent. & patron. præſtand.*

VI Apparet hinc, decentem emendationem reſiduam esſe parentibus, ſublato penitus jure vitæ ac necis, qvod tantopere reducere amat Legirupa Bodinus, ut jus iſtud (ſi tamen jus appellari meretur) repetens injuſtisſimus videatur. *Tanta eſt* (inqvit) *erga liberos pietas parentum, tantus amor, ut nunqvam judicibus de filiorum capite ſtatuere, ſi poſſint, permittant, etiamſi ab illis letalia vulnera accipiant.* Qvid ergo eſt? An impunitatem times, Bodine, ex inconſulto illo amore? Timor hic indignus eſt tanto viro, cui, ſicubi peritiam juris qvalem qvalem profitetur, conſtare debet, judicia publica duobus conſtitui modis, ex officio nempe, ſeu per inqviſitionem, & ad inſtantiam partis, ſive per accuſationem *D.Hahn. Obſ. ad D. de accuſat. n.II. Schotan. in exam. Jurid. eod. tit.* Si ergo nemo fuerit, qvi accuſet, ſupereſt Magiſtratus officium, qvod reſtitutionem illam juris vitæ ac necis auſterè redarguet, ne ex parentibus latrones fiant. Cætera, qvæ Bodinus de jure iſto prolixè tractat, tanti non æſtimo, ut vel leviter attingam. Aliàs non invitus aſtipulor Bodino, jus vitæ ac necis in liberos pluribus populis fuisſe uſitatum. Male verò Juſtinianum erroris inſimulat, qvaſi *in §.II. I. de patr. poteſt.* ſolis Romanis poteſtatem patriam tribuat, aliisq; populis eripiat. Etenim jus poteſtatis patriæ proprium eſt civium Romanorum relativè, non abſolutè, autore Hahnio *Obſ. ad D. de his qvi ſui vel alien. jur.* Intuitu illius poteſtatis res & cauſa liberorum qvondam eo loci fuit, ut qvicqvid ad illos perveniret, parentibus ſuis acqvirerentur. At ſenſim ab iſta inhumanitate recesſum eſt, *§.I. Inſt. per qvas perſon. cuiq; acqvirit. ibiq; Ludw.* Huc qvoq; pertinet, qvod

patri ſilios diſtrahere licuerit, urgente fame, *L. II. C. de patrib. qvi filios ſuos diſtrax.* Grotius *Lib.II. de J. P. & B. c. V. n. V.* morem hunc vendendi liberos ex veteri Thebanorum lege in populos alios fluxiſſe exiſtimat. Patris meminit Bodinus, non matris, cui eandem licentiam impertit Hahnius *Obſ. ad D. de his qvi ſui vel alien. jur.* an integre, ipſe viderit. Mater enim non habet liberos in poteſtate, *§.X. Inſt. de adopt.* At hæc venditio effectus fuit patriæ poteſtatis, *Theodoric. diſſ.* IX. *colleg. crimin. th.* IIX. *lit.B. qvæſt.III.* Sanè nec ad avum venditionem iſtam extendere amat Schneidewinus *Comm. in I. de patr. poteſt. n.*XXIX. licet nepos ſit in illius poteſtate. Agitanti id mihi peropportunè memoria ſubit verborum Ambroſii in libro de Tobia: *Vendit plerumq; pater liberos autoritate generationis, ſed non voce pietatis. Ad auctionem pudibundo vultu miſer ot trahit, dicens, ſolvite filii gulæ meæ ſumptum.* Locum hunc Ambroſii Scipio Gentilis *Lib.*I. *παρεργ. c.*XL. deſcripſit, qvi abuſum venditionis liberorum notare videtur, qvam prorſus damnat Felden. *in not ad Grot. de J.P. & B. Lib II. c. V. n.VI.* Confer Graſwinkel. Inter leges Regias à S. Papirio collectas hæc occurrit: PARENTUM LIBEROS OMNE JUS ESTO RELEGANDI, VENDENDI, ET OCCIDENDI.

VII. Cæterum ab inſtituto alienum eſt, his & aliis parvi momenti rebus immorari, ne dicam immori. Bodinus, dum vim illam pervulgatam patrum latè examinat, vigoremq; priſtinum ex integro anhelat reſtaurare, deviat aliqvoties. Inprimis confutatione dignus eſt in hæc prorumpens trivialia verba: *Id jure ipſo conſtat, inveterata conſvetudine legem antiqvari non poſſe, niſi contrariâ lege ac ſingulari derogatione ſublata fuerit.* Suffragari ſibi putat *L.II. C. qvæ ſit longa conſvet.* Imo verò putat! Erroris enim convincit illum verbum VINCERE. Scilicet conſvetudo legem minimè vincit, tollit tamen ſive antiqvat *D. Frantzk. Comm. in D. de LL. n.*CXXX. *Dn. Hahn. obſ. ad D. eod. tit.* Neq; modò in ſtatu Populari conſvetudo contraria legem eandem antiqvat, ſed & in ſtatu Monarchico, connivente Principe, *D. Frantzk. ibid. n C. CI. CII. CXXVII.* Ego verò Bodinum, & eos omnes, qvi leviter Juriſprudentiam cognoverunt, qvavis ſponſione provoco, ni hoc ita ſit, uti dico.

IIX.

IIX. Porro ut extenuet Bodinus jus hodiernum Patrum, uſum fructum ſolum remanſiſſe Patribus è bonis adventitiis dolet: *Cum filii paternum illud jugum paulatim excusſiſſent Conſtantini dominatu, illud etiam ab eo extorſerunt, ut hæreditatis maternæ pater uſumfructum, ipſi proprietatem haberent, qvam alienare patri non liceret, L.I. C. de bonis matern. Deinde à Theodoſio juniore efflagitarunt, ut bonorum omnium, undecunq; obvenirent, proprietas ad filios pertineret, patri tantum uſufructu relicto, L.VI. C.de bonis qvæ liberis in poteſt. patr. conſtit. ex matrim. vel aliàs acqvirunt. At ne moribus qvidem noſtris talium bonorum uſusfructus, ſed ne uſus qvidem relictus eſt.* Duo ſunt, qvæ in his Bodini verbis perſtringi merentur. Primò non magis extorſerunt filii conſtitutiones recitatas, qvàm vi extorta Pax Religioſa à Carolo V. dextrè perhibetur, *Fibig. ſemidec. ad.* IX. *elect.* J. *P.q. II.* Humanitati Imperatorum id potius tribuendum erit, qvi & liberis parcere, & parentibus honorem debitum reſervare ſatagebant, §. *I. Inſt. per qvas perſon. cuiq; acq.* Reperiuntur tamen caſus, qvibus pater adventitiorum uſumfructum non cernit, *Perez. in Cod. de bonis qvæ liberis. &c. n. III. & ſeqq.* Deinde qvod eſtatuit Bodinus, *moribus noſtris uſumfructum peculii adventitii parentibus relictum eſſe minimè, ſed ne uſum qvidem*, temeritatem ſapit ingentem. Interim ne jus illud, in qvo ſtudiorum amore huc usq; verſor, penitus ignorare videar, adducam Divi Augusti verba *part. III. conſt.* XXV: *Ubi pater tanqvam administrator & uſufructuarius bonorum, qvæ ad liberos ſuos à matre pervenerunt, è partibus metallicis ipſorum fructus percipit, horum proprietas ad ipſum non pertinet, ſed uſus fructus tantummodo. Add. Dn. Myller.* Verum anne & uſusfructus feudi filiosum concessi patri acqviritur? Neg. Treutl. *Vol. I. diſp.* XVI. *th. II.* D. Ludvvel. *diſp. I. ad Inſtit. th.* IX *lit. C. &c.* Reponit tamen nonnihil Bachovius *ad Treutl. d. loc.* A patre ad matrem tranſeo, de qva in dicendi controverſiam ac diſceptationem vocatur: Num competat illi in communione hæreditatis permanenti uſusfructus in bonis liberorum ſuorum, qvorum tutelam ſuſcepit? Nego cum D. Carpzov. *in Jurispr. forenſ. ad Conſtit. Elect. p.* II. *defin.* XIII. *Lib.* VI. *reſponſor. jur. tit.* VII. *reſp.* LXX. Aliud placet Weſembecio *paratit. ad D. de tutel. num. V.*

IX. A poteſtate patria ad emancipationem, qvâ ſolvitur, parumper digreditur Bodinus: *Qvin etiam Juſtinianus cavit a patre filios ſine ipſorum conſenſu emancipari poſſe, nec ſine donatione, qvam pater filio largiri deberet.* Hæc explicatio qvemadmodum congruat legibus, latere neminem poſſe arbitror. Illud in aperto eſt, tribui parenti pro præmio emancipationis dimidiam partem uſusfructus adventitiorum, L.VI. §. *fin. C. de bonis qvæ liberis &c.* Qvod ſi verò filio jam emancipato ea bona obveniant, pater ex iis virilem uſusfructus portionem accipit, non tanqvam acqviſitam, ſed tanqvam munus lege ſublatum reverentiæ patris manumiſſoris, L.III. C. *de bon. matern. Perez. in Cod. eod. tit. n.III.* Scilicet emancipatio eſt beneficium bonorum qværendorum, L.I. *pr. D. ſi à parent. qvis manumiſ. ſit*, ut turpem emancipationis mercaturam inter patres & liberos cum Bodino haud æſtimem.

X. Idem confusè omnia peragens alimenta, qvæ antea conceſſerat liberis, rurſus protervè adimit: *Ut planum ſit liberis à parentibus alimenta non deberi, nullis unqvam legibus permiſſum eſt liberis actione parentes ad alimenta conſeqvenda provocare, ſed ſupplici rogatione, impetrata venia Magiſtratus.* Vix elabi poſſet Bodinus, niſi ſuppetias ferret Grotius *lib.II. de J.B. & B. c.*VII *n.*IV. in voce debiti diſtingvens: *Debitum ſtricte interdum ſumitur pro ea obligatione, qvam inducit jus expletricis; interdum laxius, ut ſignificet id, qvod niſi inhoneſte omitti non poteſt, etiamſi honeſtas illa non ex juſtitia expletrice, ſed ex alio fonte proficiſcatur. Eſt autem id, de qvo agimus (niſi lex aliqva humana accedat) debitum illo ſenſu laxiore.* Nihilominus actionem dari liberis jam agnitis, ut convenienter alantur, adverſus Bodinum ſeriò decerno. Svadet id totus Digeſtorum titulus de agnoſcendis & alendis liberis. Neutiqvam tamen diffiteor, ſpeciali qvondam veniæ impetratione opus fuiſſe liberis acturis contra Parentes; hodie qvo minus id fiat, ratio ſubeſt, *Treutl. vol.I. Diſp.IV. th.VI. lit C. Eo ipſo enim* (verbis utor Excellentiſſimi Domini D.Svevi *diſput.*IV. *Treutl. ſub explic. adject.V*) *dum ad ſupplicationem partis citationem decernit Judex, jam venia impetrata cenſetur. Cum debita tamen honoris præfa-*

*tio-*

*tiam adhiberi contra ejusmodi perſonas, qvibus reverentia debetur, inſiſtenda, & ab omni verborum aſperitate abſtinendum eſt.* Poſtremum ſit, an mater per triennium alere teneatur infantem? Nego cum Hahnio meo *Obſ. ad D. de agnoſcend. & alend. liber.* Sed & delectabit Joũas Nold *de ſtat. nobil. civ. eorumq́; privil. cap X. concl. XCIII.*

XI. Ab alimentis ad eos, qvi ſacris vinculis exuti reperiantur, transgreditur Bodinus, meram poteſtatis patriæ umbram deplorans. Præter eum Hubertus Giphan. *in princ. tit. qvib. mod. jus poteſt. ſolvit.* autumat, moribus noſtris nullam ſuper eſſe patriam poteſtatem, à qvo recedit Matth. Coler. *in deciſ. Germ.* CCXXII. Sed & Harpr. *diſp. de patr. poteſt.* omnem poteſtatem patriam civilem exterminat, ſolam naturalem ſtudio inani jactans. Adeo à mitigatione poteſtatis patriæ ad interitum illius propendent Giphanius, Harprechtus, Bodinus, neſcio qvà deliratione. Imo hic incogitatè nil aliud reſtare ſtatuit, *qvam patris autoritatem ad obeundos legitimos actus, & prædiorum gentilium, qvæ pater ipſe vendiderit, redemptionem.* Diverſum Schneidevvinus docet *Comm. in Inſt. de patr. poteſt. n* XXVII. XXIIX. XXIX. *& ſeqq.* ubi varios poteſtatis illius effectus enumerat.

XII. Tanta autem non eſt, ut filius patri vim inferenti reſiſtere, aut illatam injuriam propulſare neqveat. (Diſſentit Bocer. *de duello c. VI. n. XVI. & ſeqq.* Balduin. *Lib. IV. de cas. conſc. c. I. cas. XIV. in princ.*) Sed & parentes Reip. hoſtes impune occiduntur, *L.* XXXV. *D. de religios. & ſumpt. funer.* profligatâ utcunq; impietatis maculâ, qvam aſpergere conatur Bodinus. *Pietas* (inqvit Cicero *in ſomn. Scipion.*) *in parentibus & propinqvis magna, in patria maxima eſt. Add. Gail. II. de P. P. c. X n. XXIII. XXIV.* Imo & adverſus Principem (cujus poteſtas ſub ſe habet & patriam, & dominicam poteſtatem, *Grot. I. de J. P. & B. c. I. n. VI.*) manus violentas alicui intentantem defenſionem eſſe licitam perhibent, *D. Frantzk lib. II. reſolut. XXIII n. III* Bachovius: *Eqvidem boni publici causâ Principi, cum qvo publica ſalus conjuncta eſt, a ſubdito, qvantum fieri poteſt, parcendum eſt, & extrema potius qvæq; tentanda, qvàm ut ille occidatur. Sed ubi nulla*

 pror-

*prorſus alia ratio eſt expediendæ ſalutis, naturalis ratio defenſionis reſpectum illum ſubjectionis excludit, & contra Principem latronis perſonam induentem juſtam ac neceſſariam defenſionem permittit,* ad Treutl. vol. II. *Diſp.* XXXII *th.*VI. *lit. F.* Piè diſſentit Grotius II. *de J.P.& B.cap.I.n.IX.* Idem *Lib.I. cap IV. n.VI.* haud dubium eſſe putat, jus nullum eſſe magiſtratibus inferioribus reſiſtendi injuriis illius, cujus ſummum eſt imperium. *Nam ſicut in Dialecticis ſpecies intermedia, ſi genus reſpicias, eſt ſpecies, ſi ſpeciem infra poſitam, genus: ita Magiſtratus illi, inferiorum quidem ratione habita, ſunt publicæ perſonæ, at ſuperiores ſi conſiderentur, privati ſunt.* Repugnat hiſce Dn. Reinkingius *de R.S & E. lib.I. cl. I. cap. V. n.* XXXV. XXXVI. Grotii partes inter cæteros conſultiſſ tuetur Excellentiſſ. Dominus D. Ziegler. *exercit. circa ſi quid. Anglor* VII. Igitur peccant ſubditi, qvi unicum mali Principis ſanandi remedium ferrum eſſe putant, contemptis PRECIBUS, SUPPLICATIONIBUS, & FUGA, *D. Carpzov. de L. Reg. Germ. cap.*XIV. *ſ.* II. *n.*III.

XIII. Verum ne Bodini mei immemor reperiar, illud potius impietatem redolet, qvod Parentes liberorum interfectores pœnâ liberare videatur: *Antiqvi Legumlatores apud Ægyptios in eum, qvi ſine juſta cauſa filium necaviſſet, non aliam pœnam decreverunt, qvàm ut cum filij cadavere triduum complecterentur. Sapienter illi, cum propter filii cædem parentibus vitam, qvibus ſuam deberet, eripi nefas eſſe judicarent.* Poſſem qvidem hîc accuratiſſimè originem animæ indagare, attamen cum illud ænigma Auguſtini in hac materia præferam, qvæ tot ἀπορίας mecum involvit, jam olim à Rodolpho Goclenio collectas, potius deſudabo, qvomodo egredi poſſit anima à contagione corporis libera, de ingreſſu parum ſollicitus. Et qvid ſi anima hominis ex traduce foret, ut ſaniores natalitiorum animæ indagatores ſentiunt, anne propterea impunitatem mereretur paterlator? Pœna maleferiatum iſtum manebit culei, *L. un. C. de his qvi parent. vel liber. occider.* Triſtem caſum eximit Weſemb. *paratit. ad D. ad L. Pomp de parricid. n. VI.* qvo pater filium extremæ mentum domeſtico potius exemplo mactavit, qvam ut manibus carnificis pœnas lueret, cui ideo pœnam relegationis impoſitam olim meminit.

XIV. Sed

XIV. Sed nec *qvod ad exhæredationes filiorum attinet* (Bodini verba recito, à privatione vitæ ad privationem bonorum, ſecundi hominis ſangvinis, tranſeuntis) *pater alios ditare, alios ſine cauſa exhæredes facere audet, propoſitis exhæredationum legitimarum cauſis Nov. CXV. c. III.* Ergone plures haud dantur, qvam qvæ inibi exprimuntur, ingratitudinis cauſæ? Ita ſentire videtur Bodinus, qvem comitantur Matth. Stephani *ad dict. Nov.* Treutl. *vol. I Diſp. XIII. th. IIX.* ne cæteros memorem, qvorum judicia reverenter prætervehitur Fachin. *Lib. VI. controv. jur. cap. LXXIIX.* Mediam viam Dominus Frantzkius *Comm. in D. de inoff. teſtam. n. LXXVII. LXXIIX.* eligere amavit, in qva inſiſtam ſine caſu aliqvo aut prolapſione, hoc imprimis tempore, qvo mores eunt præcipites. Adjiciam, qvod bonorum poſſesſio, cujus Bodinus mentionem facit, hodie ſit ſublata neutiqvam, *D. Ungep. exerc. Juſtin.* IX. *qvæſt.* X.

XV. An autem definitâ filiorum legitimâ paulatim à liberis contemni cœperint Parentes indagari meretur? Ita videtur Bodino. Ego verò amorem potius, qvàm contemptum inde elicere vellem. Etenim ratio naturalis, qvaſi lex qvædam tacita, liberis parentum hæreditatem addicit, velut ad debitam ſucceſſionem eos vocando, *L. VII. pr. D. de bon. damnat.* Hinc juris naturalis eſſe perhibeo non qvidem ex præſcripto, ſed ob convenientiam, ut liberi parentum cernant hæreditatem. Accedit votum parentum, qvos ad bona liberorum ratio miſerationis demum admittit, *L. VII. D. unde liberi.* Hæc omnia utut ſint juri naturæ conſentanea, non tamen necesſaria dixerim eodem jure, cum indifferenter ſe habere posſint, prout lege, pactis, moribus, vel ab ipſo teſtatore definiuntur. Qvamobrem inter liberos ſæpe inæqvalis inſtituitur diviſio, *Gail II. obs.* CXII. *n.* XXIII. XXIV. qvæ ne durior nimis eſſet, & ab arbitrio teſtatoris vago penderet, certam placuit determinare portionem, liberis tribuendam, qvam legitimam appellant leges. Inde conſtat, amari potius parentes à liberis, pari jure fretis, nec mutuâ charitate ſpoliatis, quàm contemni. Nec magis in annos paternos inqvirent hodie liberi poſt certitudinem legitimæ, qvàm olim inqviſiverunt, incerti, qvid ſperarent ex bonis parentum. Imo diligen-

gentius fortè tunc inqvirendum fuit liberis, qvia morem amore compenſare, non ſuperare contendebant. Duos annectam caſus, qvibus vivo patre legitimam non injuſtè petunt liberi. Primus eſt, ſi pater monaſterium ingreſſus, religionemq; profeſſus fuerit, *Fachin. lib. VI controv jur. c. XIII.* Alterum in Anabaptiſta patre obſervavit D. Carpzovius *p. III. Jurisp. forens. conſt. XII. defin.* X qvem communionis accepimus ſtudioſum ex ore Bodini *I. de Rep. c. II. n* XII.

XVI. Hic verò an rectè adoptionum jura Juſtiniani novis legibus prope antiqvata ſcribat, ipſe viderit. Illud imprimis Juſtinianus mutatum ivit, ne adoptio in ſpecie æqve ac arrogatio indiſtinctè jura poteſtatis patriæ atq; familiæ largiretur, *D. Ludwell. ad §. II. I. de adopt.* Hodie tamen magis freqventatur unio prolium, die Ein Kindſchafft. *Gail II. obs.* CXXV. *D. Carpzov. lib. V. reſpons. Jur. tit. I. reſpons. VI. Hahn. obs. ad D. de adopt. & VI. Treutl. vol. I. Diſp. II. th. penult* qvæ an operetur, ut feudi participes fiant liberi uniti Harprechtus inqvirit? Negat *diſp. de adopt. th.* XXIV. Adde D. Frantzk. *lib. II. reſol.* XXIIX. teſtandi facultatem parentibus aſſervantem, non obſtante pacto unionis.

XVII. Verum ne ideo deſeruiſſe videar adoptionis materiam, fœminam non potuiſſe qvondam adoptare cum Bodino affirmo. Agellium autem fallere penitus non puto, dum in Comitiis (Curiata intelligit) peragi ſolitam fuiſſe adoptionem enunciat. Scilicet jure à majoribus prodito nemo civis Rom. aut civitate privari, aut in poteſtatem alterius tranſire poterat, niſi populus autor fieret, *Cicer. pro domo.* Apparet hinc effati Bodiniani veritas: *Adoptio ſine Comitiis fiebat.* De lege Curiata arrogationum Roſinus egit *lib.* VI. *antiqvit. Rom. c.* VII. Inſuper nec aſſerere velim cum Bodino, adoptivos liberos eodem jure qvo naturales ac legitimos habitos fuiſſe à Romanis. Innumeri enim textus adverſantur, qvos compilare impræſentiarum ſuperſedeo.

XIIX. Illud non abs re erit perſcrutari, an adoptivi ſint regnorum capaces? Exemplis hiſtoriæ Romanæ id evincit Bodinus. Unicus Galba ſecurus pacatum imperium tenuiſſet, niſi Piſonem ſibi adoptando ſucceſſorem deſignaſſet, *Henric.*

*Zolt.*

*Zöln. de Regis Rom. elect. th. V. lit. c.* Alioqvin in regnis à populo delatis adoptivi non ſuccedunt, *qvia nobilitas generis verè regii magis reverendos efficit, majorq; de iis ſpes concipitur, Grot.* II. *de J. P. & B. cap.* VII. *num.* XVI. Sed nec in Feudis adoptionum rationem haberi novimus, II. *F.* XXVI. qvod feudum dari cenſeatur vaſallo contemplatione ſui ipſius, eorumq;, qvi ſangvine conjuncti. Adoptio autem non jus ſangvinis, ſed jus agnationis affert, *L.* XXIII. *D. de adoption. Wurmſer. exerc.* II. *J. P. th.* XI. E diverſo qvi per matrimonium ſubſeqvens legitimi fiunt, redduntur voti compotes & in regnis, & in feudis, prout de capite illorum comitia agit Wurmſerus *ibid. th. X.*

XIX. Reliqva, qvæ Bodinus de adoptione agglutinat, limam meam vix deſiderant, niſi qvod adoptanti extraneo jura patriæ poteſtatis iniqvè adempta velit, ipſe iniqviſſimus naturali patri. Seqvitur imperium herile, qvod capite V. Bodinus trutinat. Contraham autem vela, qvantum fieri poteſt, ne in obſoletis iſtis magnopere laborare videar, omnis tamen utilitatis expertibus minimè, *D. Habn. obſ. ad D. de ſtat. homin. num. V.* Sanè bello captos ſervos qvondam extitiſſe jure gentium nemo diffitebitur. *Sed jus illud gentium de captivis* (utor verbis Grotii mei III. *de J. P. & B. c.* VII. *n.* IIX.) *nec ſemper receptum fuit, nec apud gentes omnes, qvanqvam Romani JCti univerſaliter loqvuntur, partem notiorem indigitantes totius nomine.* Exemplis Hebræorum, & Græcorum aſſiſtit Bodinus. Inter Chriſtianos hodie captivi indulgenter habentur, poſtqvam nec vendi eos, nec ad operas urgeri, nec alia ſervilis conditionis pati comperimus.

XX. Durior fuit debitorum conditio, qvàm captivorum, ſi Bodino aſſentis, *qvos obæratos legibus* XII. *Tabb. licebat in membra creditoribus dividere, pro debiti cujusq; modo.* Eandem immanitatem (ne Bodino diffidas) memoriæ prodidit Cl. Salmaſius *de modo uſurar. c.* XIIX: *Non laudabilia naturæ jure aliqvando fuerunt conceſſa. Ita Romæ corporis obæratorum ſectio uſurpata erat, qvod à vetuſtate mutuabimur, cum* L. XII. *Tabularum debitoris corpus inter creditores, ſi plures eſſent, divideretur, qvam legem poſtea mos publicus repudiavit, crudelitate illâ*

1537.

*cauſâ. Qvid enim ſi talis eſſet debitor, qvem nec alere tanti eſſe judicaret creditor, ut nullius nempe uſus & operæ, neq; etiam vendere poſſet ob inertiam & ætatem? In promptu erat creditori pro majori ſuo compendio eum necare. Qvod ſæpius & à pluribus factitatum aliqvis meritò ſuſpicetur. Nil enim freqventius in hiſtoria Romana legimus, qvàm nexorum obæratorum qverelas, qviritantium de crudelitate creditorum, qvibus addicti ſerviebant in nervo & compedibus vincti, extrema qveq; tolerantes, contumelias, verbera, aliaq; ſupplicia. Hinc illa orationis Tribuniciæ apud Livium Lib. VI. gregatim qvotidie de foro addictos duci, & repleri vinctis nobiles domos, & ubicunq; patritius habitet, ibi carcerem privatum eſſe. Licet qvidem nec vola nec veſtigium extet in tota illius temporis hiſtoria debitoris à creditoribus diſſecti, (qvod Homero dicitur μελεϊστὶ διαταμεῖν) ſed nec venditi, tamen lege licuit. Id humanitati creditorum potius imputandum, qvàm pœnæ immanitati, qvæ qvendam deterruerit.* Noſtris debitoribus & vivis, & mortuis jura velificantur enixè. Imo & Legem Pœtiliam (qvam C. Pœtilius, & L. Papirius Mugillanus COSS. tulerunt) debitoribus faviſſe Bodinus palam denuntiat, qvi præterea pilei meminit, argumenti qvondam libertatis. *Servi qvippe emancipati pileo abraſa capita tegebant, qvousq; capilli creſcerent.* Sunt qvi putant, nobilitatis privilegia conferri hodie, ſi cui Princeps in corona Procerum verba facienti pileum imponat, *Joſ. Neld. de ſtat. nobil. civ. eorumq; privil. cap. V. concl.* XLIIX.

XXI. Sed in memoriam regredior, de imperio herili ſermonem eſſe, circa qvod haud proletarium dubium occurrit; an ſervitus naturalis ſit? Bodinus: *Ariſtoteli qvidem ſervitus naturæ congruere viſa eſt, cum alios ad imperium, alios ad obſeqvium eſſe natos perhibet; at JCti, qvi civilem ſcientiam non Philoſophorum decretis, ſed populari captu ac ſenſu metiuntur, ſervitutem naturâ penitus alienam eſſe tradunt, ac modis omnibus pro libertate propugnandam putant.* Deciſione D. Hahnii uti libet: *Ejusmodi ſervitus, qvâ homo hebes naturâ & rudis dicitur parere & ſervire prudentiori, (de qva loqvitur Ariſtoteles) genere planè diverſa eſt ab illa, qvæ ex bello oritur, qvam ex jure gentium eſſe nec ipſe Philoſophus negat, obſ. ad D. de J. & J. num.* XVI. *Add.*

*Myn-*

*Myrſing.ſchol. ad Inſt. de J. N. G & C.* §.II. *Grot.* III. *de J. P. & B. c.* VII. *n.* I. *Cellar. lib.* I. *Polit. cap.* III. *th.* XX. Qvantumvis autem aliqvi naturâ ſervi ſint, iniqvum tamen armis ſubigere illos velle, qvaſi dignos, qvi ſerviant. *Non enim ſi qvid alicui eſt utile, id ſtatim mihi licet ei per vim imponere, poſtqvam his, qvi rationis habent uſum, libera eſſe debet utilium & inutilium electio, niſi alteri jus qvoddam in illos qvæſitum ſit, Grot.* II. *de J.P. & B. c* XXII. *num.* XII. Et hoc notatu dignum eſt, qvod nec Juri Divino repugnet ſervitus, *Dn. Habn. Obſ. ad D. de manum. circa fin.* licet id Bachovius velit *ad Treutl. vol.* I. *Diſp.* II. *th* II. Poſtremum ſit, qvod Bodinus interſerit, JCtos civilem ſcientiam Philoſophorum decretis haud metiri. Non diſſentio cum Bodino. Cæterum ubiq; à JCtis Philoſophorum placita contemni ſvaſor & autor non fuerim, ſive de jure privato, ſive publico loqvamur. Ita Fibigius *ſemidec.* III. *qvæſt.* IV. inveſtigat: *An in decidendis Juris Publici controverſiis Philoſophorum regulis adſtricti ſint JCti? Tutiſſimam viam judicat, ſi neq; omnem regularum Philoſophicarum & terminorum ſubtilitatem rejiciamus, neq; etiam nimiam affectemus, ſed materiæ tractandæ naturam probè attendamus.* Nil ergo moror cum Petr. Vermil. Martyr. *Comm. ſup. L.* I. *Ethic. Ariſtot.* nugivendulos iſtos, qvi contemptu Philoſophiæ turgent illo Pauli *ad Coloſſ.* II. *verſ.* IIX. faſcinati: βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας, καὶ κενῆς ἀπάτης.

XXII. Præterea qværi ſolet, an Germani ſervos agnoverint? Bodinus: *Germani nunqvam niſi irati ſervos æqvè ac liberos hoſtilem in modum puniebant.* At ſervi iſti ejusdem conditionis cum ſervis Romanorum non fuerunt, *Habn. obſ. ad D. de manum.* Hinc Gailius *de pignorat. obſ. IIX. n. II: Germania ſervos veros nunqvam habuit.* Lazzii qvidem (vulgo laſſen à verbo Germ. laſſen, qvod in provinciis ad colendos agros relinqverentur) in multis Germaniæ locis adhuc reperiuntur, illi tamen ſervi non ſunt, aliàs leibeigene Leute, ſed minus rectè ita dicti. Etenim naturâ ſunt liberi, qvoad culturam agrorum ſervi, *Habn. dict. loc.* Sed nec Prætorianos Turcarum milites, & eos, qvi tributi nomine Chriſtianis imperantur, pro ſervis habet Bodinus, cum in familiam Principis conſcribantur, ac ſoli Magi-

E 2 ſtra-

ſtratibus, honoribus, ſacerdotiis, imperiis, nobilitate fruantur, qvæ nobilitas ad nepotes usq; pertinet.

XXIII. Colophonem addent capiti huic ultima fere Bodini verba: *Quod ſi verum eſt, rationi ſemper ac legi divinæ locum eſſe oportere, nec ipſam Palæſtinæ finibus concludi, cur non ubiq; terrarum lex illa de ſervitiis ac libertate tam utiliter, qvam ſapienter à Deo lata vim habitura ſit potius, qvam qvæ humanis ingeniis excogitata fuere?* Non conabitur ſubſcribere Grotius Bodino, alienigenis legis Hebraicæ jugum imperanti. *Nec enim* ex illius mente, qvam *I. de J.P. & B. c.I. n.XVI.* explicat, *lex obligat eos, qvibus non eſt data. Humano generi ter jus datum à Deo novimus, ſtatim poſt hominem conditum, iterum in reparatione generis humani poſt diluvium, poſtremò in ſublimiori reparatione per Chriſtum. Ex omnibus autem populis unus extitit, cui peculiariter Deus jura dare dignatus eſt, populus ſcilicet Hebræus. Unde nullâ parte legis Hebrææ, qva lex eſt propriè, nos obligari putat, qvia obligatio extra jus naturæ venit ex voluntate legem ferentis. Deum autem voluiſſe, ut alii, qvàm Israelitæ, iſta lege tenerentur, nullo indicio poteſt deprehendi. Hinc directam obligationem non patitur Grotius, obliqvam non refugit.* Enimvero non auſim ſeqvi Grotium, utut Deus Israelem affetur, asſenſum cohibente Excellentisſimo apud Argentoratenſes Theologo D. Johanne Schmidio *diſp. de lege morali in genere th.XXII.* Diſtingvendum tamen inter ea, qvæ abſolutè ſunt communia, & qvæ his addita ſunt nonnulla ſingularia in lege morali. De ceremoniali qvippe, ut & forenſi impræſentiarum haud loqvor. Porro qvod ait Grotius, legem non poſſe obligare eos, qvibus non eſt data ſive promulgata, humanæ legi tantum competit, non illi, qvæ connata eſt. Nec enim iſtam addiſcimus, accipimus, legimus, ſed ex natura ipſa arripimus, haurimus, exprimimus, ut verbis uti liceat D. Balthaſaris Meiſneri *part. III. Philoſ. Sobriæ ſect.II. cap.IV. qvæſt.II.*

## CAPUT QVARTUM.

I. *Vi parta imperia vi ſubinde disſolvi neqveunt.*

II. *Libertas eſt juris naturalis negativi.*

III. *Civis interdum etiā agnoſci meretur, qvi matre cive natq.*

IV. *Cives non modo naſcuntur, ſed & fiunt.*

*V. Ori-*

V. *Originarius Syndicus ſtudio & fide ſuperat extraneum.*

VI. *De cognatione Jurisprudentiæ & Politicæ.*

VII. *De iure pignoris Antiochenſium civitatis ad explicationem L. XXXVII. D. de reb. autorit. judic. poſſidend.*

IIX. *Civitas, cujus mœnia autoritate ſuperioris ſolo æquata, talis eſſe deſinit.*

IX. *Gregatim è civitate diſcedi neqvit.*

X. *Muri ſunt urbis termini.*

XI. *Qvalis ſtatus fuerit ſub Augusto, & cæteris Imperatoribus.*

XII. *De exilio Ciceronis.*

XIII. *De mero imperio & jurisdictione nonnulla.*

XIV. *Pontifices Hebræorum præter alios judicia criminalia exercebant.*

XV. *De Nobilium immunitate à tributis.*

XVI. *Ab alienis ſubditis injuriam imperantis armis interdum arcere licet. Non æquè licet ſubditis in libertatem ſeſe vindicare.*

XVII. *Domicilium originis hodiernis moribus eſt obnoxium mutationi.*

XIIX. *Vaſallus invito domino feudum refutare, & hic illum invitum liberare poteſt.*

XIX. *Principes ſæpe Viros ingenio acerrimo præmiorum & immunitatum illecebris ſibi conciliant.*

I. ABſoluto imperio Mariti, Patris, & Domini de cive ac civitate tractaturus ſum cum Bodino, promptus adverſus eum rerum malè perceptarũ asſertor, promptusq;, ubi cauſa poſtulat, defenſor. Experiri enim id nolim, qvod me asſeqvi posſe diffidam, modò liceat mihi eſſe tam diſerto. Sane cum imperia (qvæ Juri gentium acceptâ tulit Hermogenianus *in L. V. D. de J. & J.*) vi primum coaluisſe docet; à ſole veritatis non aberrat. Sed & Lipſius *IV. Polit. XIV.* violenta regnorum initia fuisſe profitetur. Ab iſto tamen capite non fluit, vi disſolvi posſe, qvæ vi parta ſunt imperia. Grotius: *Nam & qvæ vi parta primum ſunt imperia posſunt ex voluntate tacita jus firmum accipere, & voluntas aut ex initio conſtituti imperii, aut ex poſt facto eſſe poteſt talis, ut jus det, qvod in poſterum à voluntate non pendeat, II. de J. P. & B. c. IV. n. XIV.* Ad idem inclinat D. Reinking. *de R. S. & E. lib. I. cl. I. c. V. n. XV.* Recedit Bodinus *II. de Rep. V: Poſterior populi ſuffragatio qvaſi qvædam tyrannidis eſt confirmatio.* Nec antagoniſta Grotii acqvieſcit: *Ad ſervitutem nulla*

*vel expreſſa, vel tacita voluntas ſufficit, præſertim ſi eam præcedat metus, quia voluntas metu extorta admittit reſtitutionem in integrum.* Refutatione meâ non opus eſt, quâ à D. Reinkingio *dict.loc. n.XVI.XVII. & ſeqq* relevor. Planè actus imperii, qvos exercet invaſor, injuſtâ tantum poſſidendi cauſa fretus, vim habere poſſunt obligandi, non ex ipſius jure, qvod adhuc nullum eſt, ſed ex eo, qvod omnino probabile ſit, illum, qvi jus imperandi habet, ſive is eſt Populus ipſe, ſive Rex, ſive Senatus, id malle, interim rata eſſe qvæ imperat, qvàm legibus judiciisq; ſublatis ſummam induci confuſionem, *Grot. I. de J. P. & B. c. IV. n. XV.* De potentia Cæſarea qværit Cyriacus Lentulus *in Auguſt.* an tyrannidem ſapiat? Sobriè & ſentit, & loqvitur.

II. Verum non eſt fortaſſe pretium, cur expendendis regnorum initiis immorer diutius. Libertatem porro non niſi perruptis naturæ legibus eripi potuiſſe Bodinus cenſet, ſed ineleganter, ut auguror. Vim enim talem haud patitur jus naturæ, qvod firmum atq; immutabile ſemper permanet, *§. XI. Inſt. de J. N. G. & C* ut nec à Deo, qvi injuſtus nunqvam eſt, qvicqvam adverſus id jus præcipiatur, *Grot. I. de J. P. & B. c. I. n. XVII.* Intelligo autem jus naturale poſitivum. Alia ratio negativi, ut Scholaſticis loqvendi mos eſt, qvod mutationi obnoxium. Huc libertas pertinet, non illuc. Neq; enim decrevit eam jus naturæ, qvod alias perrumpi neqviviſſet, *D. Ludw. ad §. XI. Inſt. de J. N. G. & C. Add. D. Hahn. obs. ad D. de J. & J. n. XV. de ſtat. homin. n. IV. D. Ungepauer. exerc. Juſtin. II. q. IX.*

III. Ad civem ſtylum verto, de qvo caput VI. concepit Bodinus. Agnoſcit autem talem, qvi vel utroq; parente, vel altero tantum cive natus eſt. Sufficere adeo putat ad civem conſtituendum, matrem habere civem. Dices, partum legitimè conceptum patrem ſeqvi, non matrem, *L.* XIX. *L.* XXIV *D. de ſtat. homin.* At interdum privilegio aliqvo materna origo cenſetur, *L. I § II. D. ad munic. L.* XXXVI. *D. de decurion. Petr. Cunæus Lib. I. de Rep. Hebræor. cap. XII p. m.* LXXIII. *Alciat. ad L. CXCVI D. de V. S.* Ita ſtatutis caveri ſolet, ut ſimul nobilitas matris attendatur ſtudioſe, *Jos. Nold. de ſtat. nobil. civ. eorumq; privil. § LXI. LXII. Wurmſer. exerc. IV. J. P. th.* XII. *D. Reinking. de R. S. & E. Lib. I. cl. V. c.* XI. *n.* XXVI. *Perez. prælect. in Cod. de dignit. n.* XLVII.

IV. Neq;

IV. Neq; naſcuntur tantum cives; ſed & fiunt,inſtillante Bodino,qvales ſunt manumisſi,adoptati, *L.I princ. L.XV. §. fin. D.ad municipi* allecti,*Gothofr.ad d.L.lit.H* Manumisſione hodie cives eſſe incipiunt, qvi homines proprii vulgo ſalutantur, *Hahn.obs.ad D.dict.tit. ut & de manum. vindict.* poſtqvam ſervitus eviluit, cujus ne meminisſe qvidem debuisſet Bodinus. Ad allectos qvod attinet, ſeparandum erit jus recipiendi cives à poteſtate dandi jus civitatis, qvam catalogo reſervatorum (ut vocant) Imperatoris inſertum eunt Thom. Michaël *de Jurisdict. concl.* XII. *lit. C.* Henric Bruning. *de variis univerſitat. ſpecieb. th.*XIII.Laurent.Dhm *de jur.epiſcop th.*XIII.*lit.C* perſonatus ille Hippolythus à Lapid.*de ration.ſtat.part.I. c.*XVI. Verum an Imperator jus civitatis extraneo libere concedit ad omnem juris effectum,ut in omnibus, ac per omnia Germano par habeatur? Negat Hippolyth. à Lapide *de ration.ſtat.part.I.c.*XVI. *circa fin.* Aliàs qvæ comitentur hodie allectionem civium Hahnius inculcat *obs. in D.ad munic.* Deniq; licet adoptio municipem faciat, nobilitatem tamen non confert, niſi avus maternus adoptaverit,*Treutl.Vol.I.D.II.th.X.lit.A.Vol.II. Diſp.*XV.*th.V. lit.C. ibiq, Bachov.D.Hahn.obs.ad D.de adopt n.VI. Joſ.Nold.de ſtat.nobil.civ. c.IIX. th.*LXXI. Divortium amant Tiraqvellus *de nobilit. c.*XV.*n.VI.*Wurmſer *exerc.*IV.*J.P.th.*XIII.

V. De ſingulis iſtis civibus qvid ſui conſilii ſit Bodinus oſtendit,cives natos factis civibus præferens. Hinc civem originarium Syndicum renunciari apud Germanos uſu receptum ſuggerit. Qvamvis autem in dubio ſim,id ita obſervari, experientiâ aliud doctus, infiteri tamen integrum non eſt, indigenas huic muneri præponendos eſſe, qvoad ejus fieri poteſt, excluſis extraneis. Illi enim majori ſtudio & fide præſumuntur communitatis ſuæ cauſas acturi, *Weſemb.parat. ad D. qvod cujusq; univerſit.nom.vel cont.eam agat.n.V. D.Hahn. Corvin.ibid. At inſita mortalibus natura* (ita qveritur Tacitus *II. hiſtoriar.*) *ut recentem indigenarum felicitatem ægris oculis introſpiciant, modumq; fortunæ à nullis magis exigant,qvam qvos in æqvo viderunt.* Hinc faſtidium illud conterraneorum, hinc pruritus & deſiderium exoticorum. Peregrinationum autem abuſus id mali fere invehit,

vehit, *Loccen. Lib. I. de ordin. Rep. c.* IX. *Lib.* II. *c.* IIX. *Add. D. Dannhaw. phænom.* IIX. *ἐδοσοφίας.* Aliоqvin antiqvitatis ſtudioſus ſolidè comperior, neminem ejus provinciæ rectorem aut præſidem fieri potuiſſe, cui originem debebat. Sed nec Fiſcalis officio, aut Aſſeſſoris in Patria ſua ultra menſes qvatuor aliqvis fungebatur, niſi indulgenter eum haberet Princeps, *L.* X. *C. de aſſeſſor.* Id verò (ut Paulus meminit *V. ſentent. tit.* XII.) ideo factum, ne aut gratioſus, aut calumnioſus apud provinciales ſuos qvis eſſe videretur. *Add. Perez prælect. in C. tit. ut nulli patriæ ſuæ adminiſtratio ſine ſpeciali permiſſu principis committat. Zevecot. obs. Polit. ad Sveton. Cæſar. cap.* LXXVI. Hodie multæ in Italia Urbes, ne civilibus patriciorum, plebejorumq; diſcordiis iterum turbentur, peregrini Prætoris eligendi morem prudenter ante inductum adhuc ſervant, qvi nullo cognationis aut factionis contagio infectus jus ſincerius dicat.

VI. Ulterius contra Bodinum vocem mitto, cognationem Juris, ac Politicæ depravantem: *Qvi de Rep. ſine legum ac juris ſcientia ſcribunt, conſimiliter faciunt, ut qvi nullis omnino jactis fundamentis ædes altiſſimas moliuntur.* Ergone fundamenta ſua è penu juris noſtri depromit Politicus? Vertenda oratio. Conjuncta qvidem apprime ſtudia Politicæ (imo totius Philoſophiæ Practicæ) ac Jurisprudentiæ veneramur, at hæc illam fundamenti inſtar ſupponit, non contra. Ita, ne plura coacervem, Juris Publici ſtudioſus principia communia è prudentia civili haurit partim, partim ex hiſtoriarum monumentis, *D. Hahn. obs ad D. de J. & J. n.* XIV. *Add. Wurmſer, exerc. I. J. p. th. I.* Profecto qvi minus fideliter ethicæ fundamenta jecit, eum incaſſum in Politicis deſudare atq; elaborare dixerim. Naudæus: *Ne cruda adhuc ſtudia in Principum aulas propellantur, & Politica diſciplina, qvâ nihil ſublimius eſt, aut magis difficile, hominibus ſui impotentibus ac ignavis induatur, rationi valde conſentaneum eſſe exiſtimem, politicas inſtitutiones exordiri ab illa prima Philoſophiæ moralis parte, qvæ velut unica vitæ humanæ rectrix ac magiſtra ſingulos ſui muneris ac officii admonet, voluntatem iracundiæ fluctibus agitatam, voluptatum blanditiis irretitam, fluctuantemq; paſſionum motibus confirmat, bibliogr. Polit.*

VII. Plu-

VII. Plura qvidem annectit Naudæus, qvem Excellentiſſ. Dominus Buchnerus primus admirabilem inter Germanos fecit, ſed iſta nihil penſi habeo, rebus magis arduis & difficilibus intentus. Huc refero meritò, qvæ de jure pignoris, civitatibus qvibusdam competente, Bodinus enucleat: *Trajanus Augustus ad Plinium Juniorem, Aſiæ Proconſulem, reſcribens negat civitatem Bithyniorum jus habere Reip. ut privatis creditoribus jure pignoris potior eſſet. Et rectè qvidem. Id enim proprium erat Romanæ civitatis, & iis, qvibus ſingulari jure tributum erat, ut Antiochenſium civitati, qvæ ſola in univerſo imperio privatis creditoribus jure pignoris potior erat.* Papinianus: *Antiochenſium Cœle Syriæ civitati, qvod lege ſuâ privilegium in bonis defuncti debitoris accepit, jus perſeqvendi pignoris durare conſtitit, L.XXXVII. D. de reb. autoritat. judic. poſſidend.* Rationem dubitandi nullam reperio, niſi eam, qvam apud Cujacium dudum legi *Lib.X. obſerv. c.* XXV. *A bello Civili Peſcennii Nigri ſtetit Byzantium, & Antiochia, qvas etiam victor Severus malè multavit, &, autore Herodiano, Perinthiis, qvi à ſe ſteterant, adjudicavit Byzantios partim ſubjectos, & eadem ratione Laodicenis Antiochenos, qvibus præterea etiam alia multa Spartianus ſcribit. Inde forſitan ratio dubitandi in d. L.* XXXVII. *an Antiochenſibus, qvæ non à ſe, ſed lege ſua acceperant privilegia, adempta cenſerentur, nimirum tacitæ & privilegiariæ hypothecæ in bonis defunctorum debitorum. Et reſpondetur, ea durare.* Sed recipio cauſam Bodini defendendam, qvi Antiochenſium civitatem, aliasq; ſingulari favore creditoribus privatis pignoris jure potiores fuiſſe aſſerere haud veretur. Neq; enim tacitam hypothecam civitates ſortiuntur, niſi ex privilegio, aut niſi ſpecialiter in obligatione pignoris ſibi proſpexerint, *L.II. C. de jur. Reip.* At fiſcus ſemper habet jus pignoris, *L.*XLVI. *§.*III. *D de jur. fiſc.* ex cauſa tempe tributi & contractus, non pœnæ, & delicti, L.XVII. *D. eod. tit.* L.VII. *C. de privil. fiſc. Gothofr. ad d* L.XLVI. *lit.N. Bachov ad Treutl. Vol* II. *Diſp* XX. *th.*IV. *lit.K.* Poſtremum ſit, qvod in bonis adminiſtratorum ſuorum civitates jus taciti pignoris rectè allegent, *arg. L. fin. C. qvo qvisq; ordin. conven. at.*

*Treutl. Vol II. Diſp. I. th. IV. lit. K. Weſemb.* [illegible] *ad D.* [illegible] *pign. vel hypothec.* [illegible] *n. I. D. Habn.* [illegible] *ad Treutl.* [illegible] *lit. S.* [illegible] XC. [illegible] Frizius [illegible] *in C. de jur.* [illegible] XII. [illegible] calamo delerem, qvæ ante de jure pignoris [illegible] administratorum à me notata erant, niſi aliunde [illegible] Conſiliendor Peregius [illegible] XIII. *Qvicqvid* [illegible] *debendum, qvi* [illegible] *derogetur legi civili, &* [illegible] *privilegium* [illegible] *potheca* [illegible] *creditoribus chirographariis &* [illegible] *latis, non illis creditoribus, qvibus expreſſa hypotheca* [illegible] *Eſſet enim durum, imo iniqvum* [illegible] *qvod non debet adimere id, qvod non debuit.*

IIX. [illegible] Bodinus: *Poteſt ipſa civitas* [illegible] *nibus urbium ſolo æqvati.* Ego in apertum referam cum Gailio *II. obſ. LXI.* qvod maximè interſit, an civium, aut ejus mœnia deſtructa fuerint ab eo, cujus ſummum eſt imperium, ob delictum, num hoſtis aut tyrannus everſor extiterit? Prius caſus me Bodini aſſeclam profiteri vetat. At dices, delinqvere non poſſe univerſitatem. Planè & in omittendo, & in committendo delictis eſt obnoxia civitas, *D. Habn. obſ. ad D. qvod cujusq. univerſit. nom. vel contra eam agat. n. VI.*

IX. Circa hanc porro in contentione verſamur, an civibus de ea abſcedere liceat? Exemplis rem conficere Bodinus videtur, qvi Pompeji qvoq; meminit, duntaxat Senatores ac meliorem civium partem ab urbe, qvam Cæſari reliqverat, ſeducentis. At gregatim diſcedi non poſſe, niſi periculum evitetur vitæ, aut fortunarum, expeditum eſt ex neceſſitate (verba Grotii *II. de J. P. & B. c. V. n. XXIV.* mea ſunt) qvæ jus conſtituit in moralibus. Nam id ſi liceat, jam civilis ſocietas ſubſiſtere non poſſit. De ſingulorum diſceſſione alia res videtur, ſicut aliud eſt ex flumine aqvam haurire, aliud rivum diducere. Interim ſervanda eſt regula naturalis æqvitatis, qvam Romani in privatis ſocietatibus dirimendis ſecuti ſunt, ut id

non

non liceat, ſi ſocietatis interſit. *Add. Grot. lib.III. de J P.& B. c.XX. n.XLI.* Imo & religionis causâ (ne plures recitem, easq; varias) migrare civitate licet, *§ XI. Pac. Religioſ. Cran. part.II. de P.R. probl.I. D.Carpzov. quæſt.II. ſemidec. diſp. feud.VII.* Illi tamen, qvi aerem mutare amant, ad præſtationem des Abzugs/ Nachſchoſſes/ der Nachſteuer ſunt obſtricti, *Dominic. Arum. discurſ. VI. ad A.B. th.XIII. Henric.* Klock *de jur. vectigal. th. LXIII. Gail.II. obſ.XXXVI. n.X.* exceptis Academicis, *D.Erneſt. Cothm. reſp. Acad.XIX. Arum. d. loc.* Poſtremò ſciendum, qvod ea, qvæ dixi, ita obtineant, ſi nihil aliud convenerit. Novimus enim populos eſſe, ubi id non liceat, ut apud Moſcos. Nec negamus talibus pactis iniri poſſe ſocietatem civilem, *Grot.II, de J.P. & B. c.V. n.*XXIV. Hoc ſenſu accipio illa Bodini verba num. LIIX: *Omnibus Principibus ac Civitatibus pro jure majeſtatis ac imperii cives domi continere ſemper licuit ac licebit.*

X. Miſſis iſtis urbem aggredior, indagatum terminos ejusdem, qvos nimiopere extendit Bodinus: *Urbs murorum & ſuburbiorum ambitu continetur. Aberramus itaq;, cum urbem à ſuburbiis & continentibus ædificiis ſejungimus.* Suburbium enim vicus eſt extra urbem. *At urbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur, qvod latius patet,* verba ſunt JCti Pauli *in L.II. D. de V.S. Add. Gædd. ad d. L. n.XV. & ſeqq.* Marcellus: *Ut Alfenus ait, urbs eſt Roma, qvæ muro cingeretur. Roma eſt etiam, qvà continentia ædificia eſſent,* L.LXXXVII. *D. eod. tit.* Hinc qvi in continentibus natus eſt ædificiis, vel hortis, Romæ qvidem natus eſt, ſed non in urbe, *Gædd. ad d.* L.II. *n.*XX. *& ſeqq.* Et haſce leges notatu dignas in qvæſtionibus privilegiorum, immunitatis conceſſæ, venditione, locatione, jurisdictione, exilus, & ſimilibus preſsè commendat Gothofred. *ad d. L.II. lit.A.*

XI. Sed nec ſincerum eſt judicium Bodini de ſtatu Reip. Romanæ ſub Auguſto, & cæteris Imperatoribus. Impræſentiarum popularis ſtatus umbram Tiberium penitus ademiſſe pronunciat, qvam Auguſtus P.R. reliqverat. Alibi principatum inſubide fovet, à ſeipſo fere disſidens: *Reſp. Rom. ſub Auguſto,*

*ac cæteris deinceps Imperatoribus usq; ad Flavium Veſpaſianum Principatus dicebatur, cujus Reip. nec Herodotus, nec Latinorum, aut Græcorum qviſqvam, præter Tranqvillum, meminiſſe videtur. Is enim ſcribit Caligulam, cum Reges ac Principes, qvos convivio exceperat, de dignitate ac generis ſplendore inter ſe contenderent, Homeri carmen illud uſurpaviſſe:*

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

*Ac parum abfuit, qvin diadema ſumeret, ac ſpeciem principatus in regnum converteret. Ex qvibus intelligitur, ſub Auguſto poſt Actiacum bellum nec popularem ſtatum, nec optimatum, at ne regnum qvidem fuiſſe. At Principatus aliud nihil eſt, qvam optimatum, aut populi ſtatus, cui unus aliqvis præeſt, Lib. II. c. V. in fin.* Ut paucis multa complectar, Bodinus noſter, & Tranqvillus ambiguo nominis ſono, ac rerum externarũ ſpecie ſe decipi paſſi fuerunt, cum non veritate (ita legere malim apud Livium, qvam virtute) promeretur libertas, ſed arte luderetur. *Confer Cyriac. Lentul. Auguſt. p.m.* CCCXLIIX. *& ſeqq.* Subſidiari qvidem videtur L. IIX. *C de LL.* qvâ Theod. & Valent. ſanxerunt, ne ulla lex absq; conſenſu Senatus promulgaretur, ſed enervat illud ſubſidium D. Frantzkius *Comm. in D. de conſtitut. Princip. n.* XV. XVI. regalis ſtatus acerrimus propugnator. Huic ſententiæ accedit incomparabilis Hugo Grotius *I. de J.P. & B.* III. *n.* X. & perſpicax ille Hippolythus à Lapide *de ration. ſtat. part. II. c. VI. ſect. IV.*

XII. Auguſti Imp. dum mentionem facio, operæ pretium erit Ciceronianum exilium recordari cum Bodino: *Legem Porciam Cic. Conſ. cum violaſſet, non modo exulare coactus fuit, ſed etiam proſcriptionem paſſus domo penitus incenſa.* Non poſſum mihi temperare, qvo minus verba Zevecotii afferam: *Vindicare mortem Cæſaris* (Nota probè medium illud imperii munimentum, cujus Cyriacus Lentul. *in Auguſt. p.m.* CCLXXIV. CCLXXV. meminit) *& imperare volebat Octavius, ſed qvia non ſatis æqvum experiebatur Antonium, Patribus illi adverſis, & ſive dum adulantibus operá Ciceronis impoſuit, diſſimulato interim qvo maxime ardebat*

*debuit ſtudio, donec firmatis ſatis viribus tutò id detegere potuit. Miror Ciceronem, qvamvis ſæpius à Bruto, & aliis admonitum, tantum tribuiſſe adoleſcenti. Verum dum fatum urget, ſæpe etiam qvi prudentiſſimi ſunt ſpei ſuæ aut opinioni tribuunt tam multa, ut ſe deſpuiſſe ipſi poſtea cogantur fateri. Non rarò enim eos, qvos commendatione ſua & labore promoverunt, non ingratos tantum experiuntur, ſed etiam inimicos, obs. Polit. ad Flor. Lib. IV. c. IV.*

XIII. Deflexit paululum diſputatio mea, qvam reſtituam animoſè. Etenim mihi de exilio Ciceroniano amplius occupato eſſe nec licet, nec libet. Meminit Bodinus ſupplicii de Salvatore noſtro Θεανθρώπῳ ſumpti à Pontio Pilato, qvod Judæi exeqvi non poterant. *Nam ſi Judæorum Magiſtratus municipales* (verba ſunt Bodini) *merum imperium ac jurisdictionem habuiſſent, ipſi cognitionem ſuſcepiſſent; ſed nullam pene Jurisdictionem habuerunt, præterqvam qvod jubere cavere, & in poſſeſſionem mittere, pupillis etiam tenuibus dare tutores poterant.* Magnum conſpicio campum, in qvo excurrere poſſem, niſi in exiguum gyrum orationem compellere amarem. Primò merum imperium ſub voce Jurisdictionis comprehendere videtur Bodinus. At nullam, Jus Civile ſi ſpectes, dextre agnoſcere videor jurisdictionem criminalem, cui voluptati eſt, fontes juris Romani videre potius, qvam rivulos conſectari. Diſſident à nobis Weſemb. *parat. ad D. de Jdict. n. II.* D. Frantzk. *Comm. in D. eod. tit. n. III.* &c. Secundò asſertum ire placet, qvod misſio in poſſeſſionem bonorum interdum ſit jurisdictionis, interdum mixti imperii, *D. Hahn. obs. ad D. de jurisd. n. VII.* Jubere verò caveri mixti eſt imperii, illius nempe, qvod eminentius exiſtit jurisdictione, *L. II. D. de jurisd. D. Frantzk. Comm. in D. de jurisdict. num. LII.* Deniq; ſciendum; qvod primitus tutoris datio non fuerit jurisdictionis. Hodie poteſtatem illam jure Magiſtratus exerceri vix negabis, *Hahn. obs. ad D. de officio ejus cui mandat. eſt jurisd. n. IV.*

XIV. Ad defenſores civitatum qvod attinet, qvorum meminit Bodinus, partes Anton. Perez *prælect. in Cod. de defenſor. civitat.* non deſiderabuntur. Enimvero majoris momenti eſt,

1549.

qvod ſeqvitur: *Fallunt, qvi putant, Pontifices Judæorum judicio Chriſti abſtinuiſſe, qvaſi religione impedirentur, ut noſtri Pontifices tradunt, qvo minus pœnam capitalem irrogarent, aut judicia capitalia tractare, aut ſententiam cruentam ferre prohiberi, qvod ab antiqvitatis ignoratione profectum eſt, cum ſatis ſuperqve perſpicuum ſit, Senatum Judæorum LXXI. etiam ex Sacerdotibus ac Levitis coaluiſſe, & capitalia judicia prius exercuiſſe, qvam Palæſtina in Provinciæ formam redacta fuiſſet.* Duo horum verborum capita occultare neqveo, qvæ digna ſunt, in qvibus vires ſuas exerceat cujusq; indoles. Illud ſaltem [illegible] detur, qvod pœna minus recte dicatur, qvæ delicto reddita non fuit. OMNIS POENA, SI JUSTA EST, PECCATI POENA EST. Et hoc ad pœnas etiam, qvæ a Deo irrogantur, pertinet, qvanqvam in illis interdum ob humanam caliginem lateat culpa, ubi non latet pœna. Dehinc ad primum caput propero, cujus memini, an Hebræorum Pontifices, ita loqvi malim. Non enim Reſp. non imperium de Judæ nomine dici cœpit, niſi poſtqvam ſeceſſionem major Iſraëlitarum pars feciſſet Hieroboami auſpiciis, *Cunæus Lib. I. de Rep. Hebræor. c. X.*) Sacerdotes, ac Levitæ in cauſa criminali jus dicere potuerint? Non dubitat Bodinus. Sanè Cunæus priores partes apud me habet, hac in re exactiſſimus Bodini interpres *lib. I. de Rep. Hebræor. c. XII.* Ante omnia populi iſtius ſynedria offert ſe nobis concilium magnum Sanhedrin, in qvod aſciti [illegible] Senatores LXX. erant. Id concilium cum conſtitutum a Moſe eſſet, ſemper deinde ſub Judicibus, Regibusq;, & Pontificibus usqve ad extremam Judææ deſolationem fuit, manſitq; in ea urbe, qvæ ſanctuarii ſedes, atq; Reip. arx colebatur. Sedes iſtius concilii in ipſo ſanctuario fuit, ubi de divinis, humanisqve rebus Senatores LXX. cognoſcerent, de civibus primariæ nobilitatis, Levitis, Sacerdotibusq; lecti. Pontificem etiam Maimonides aſcitum [illegible] ſi cordatus, & capiendis conſiliis non ineptus foret. Porro hæc dignitas, qvoniam amplisſima erat, nemini ſine legitimo actu data. χειροθεσία enim opus fuit. Ita Moſes Joſuæ, & ſeptvaginta Senatoribus manum impoſuit, qvæ impoſitio diu uſitata [illegible]

demum.

demum. Recitatum enim duntaxat carmen qvoddam conceptis verbis, qvantum intelligere est Cuneus: ECCE MANUS TIBI IMPOSITA EST, DATURQ. POTESTAS TIBI JUDICIA EXERCENDI ETIAM CRIMINALIA. Veteres qvoq; Germani vitæ necisq; potestatem ſacerdotibus tribuebant, ſi fidem meretur Tacitus: *Duces (intelligit Magiſtratum bellicum) exemplo potius, qvam imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. Cæterum neq; animadvertere, neq; vincire, ne verberare qvidem niſi Sacerdotibus* (conſentiente forte populo) *permiſſum, non qvaſi in pœnam, nec Ducis juſſu, ſed velut Deo imperante, qvem adeſſe bellantibus credunt.* Inde perſpicuum eſt, Cæſarem *de bell. Gall.* aut minus comperta habuiſſe antiqvorum Germanorum jura, aut verò paulo poſt ejus ætatem imminutam fuiſſe Ducum poteſtatem, libertatis populare incremento. *H.Conring. de judic. Reip German. th VII.* Secundum caput noſtros concernit Pontifices, calumniatorum Chriſti ſimiolos. Illi enim judicia ſangvinis agitare erubeſcunt, *can. VI. c. XXIII. qu. II. cap. X. de judic. cap. IX. ne clerici vel mon. ſecul. negot. ſe immiſc. cap. ult. eod. in VI. Corvin. aphoriſm. ad jus Canon. Lib. II. tit. I.* qvod Jure Canonico æquè ac Civili mandari neqvit, *Fachin. lib. IX. controv. jur. c. XCIX.* Diſſentit Rittershus. *Lib. VI. differ. Jur. Civ & Can. c. VI.* Hinc quamvis Laurent. Ohm. *de Jur. epiſcop. th. XIIX.* Epiſcopo intuitu juriſdictionis licentiam impertiatur decernendi pænas delicti, eccleſiaſticas tamen ſive canonicas (qvales ſunt pœnitentia, excommunicatio, interdictum, ſuſpenſio, remotio, *Arnold. Corvin. aphor. ad jus Canon. Lib. IV. tit. XLII. Marc. Anton. Cucch. lib. IV. inſt. Jur. Canon. tit. X.*) à ſecularibus conſideratè ſeparat. Inde invocatio brachii ſecularis, qvam vocant, inolevit, ne clerici ſecularia negotia affectarent, *Henr. Zœs. in lib. III. Decretal. tit. L. n. I.* neve pluribus intenti diſtraherentur. Eandem ob cauſam clerici Legibus, & Phyſicæ, i. e. Medicinæ ſub pœna excommunicationis operam dare prohibentur, *cap. III. cap. fin. dict. tit ibiq; Zœs. n. III.* Jungas velim Arnold. Corvin. *Lib. I aphoriſm. Jur. Can. tit XXVII.* Cunr. Rittershus. *Lib. VII. Differ. Jur. Civ. & Can. cap. I.* Fortuitò in

hunc

1550. ١٢٢١

1551.

hunc ſermonem incido, qvod imperium merum mandari hodie neqveat, poſtqvam jure Magiſtratus haud competit. Sed & hoc à verò non abludit, judicia capitalia neutiqvam affectanda eſſe. Grotius: *Minimè conſultum eſt homini verè Chriſtiano, ac ne ipſum qvidem decet, ut ad munera publica, quæ de ſangvine judicium habent, ſuâ ſponte ſe ingerat, jusq; vitæ ac necis in cives ſibi tanqvam omnium excellentiſſimo & Deo cuidam inter homines deferri æqvum exiſtimet ac profiteatur*, II. de J.P. & P. c. XX. n. VII.

XV. Neq; enim aut beneficiorum amplitudine, aut qvovis decumano titulo definiendi cives, ut unus magis civis ſit, qvàm cæteri, Bodino teſte. *Hinc etſi apud Germanos* (ejusdem verba recito) *nobilitati nulla imperentur tributa, arma tamen capere pro Rep. ac cæterorum civium ſalutem tueri tenentur.* Prolixitatem de neceſſitate tributorum in Rep. refugit animus, contentus iis, qvæ Cunr. Rittershus. *part. II. Jur. Juſtin. c. II. n. XV.* ac Anton. Perez. *prælect. in Cod. de annon & tribut.* memoriæ prodiderunt. Magis ad rem pertinet inveſtigare, an Nobiles a tributis ſint immunes, & à qvibus? Imp. Conſtantinus: *Omnes penſitare debebunt, qvæ manus noſtræ delegationibus aſcribuntur, nihil amplius exigendi vel remittendi poteſtatem eſſe*, L. II. C. de annon. & *tribut.* Omnes, inqvam, non modo provinciales ſubditi, ſed etiam extranei, atq; forenſes ad ſolutionem tributorum ſunt devincti, *Perez. in Cod. dict. tit. n.* XXIIX. exceptis nobilibus vaſallis, *D. Wurmſer. exerc. VI. J.P. th.* IIX. *Caſp. Klock. de contribut. in imper. uſitat. th.* XXXVII. *Add. Joſ. Nold. de ſtat. nobil. civil. eorumq; privil. cap.* XI. qvos tamen legitima præſcriptio eo jure privat. Perezius: *Qvi in poſſeſſione eſt nobilitatis, & per tempus à ſtatuto præſcriptum non ſolvit tributa, etiamſi poſtea fecerit actus contrarios, non propterea decidit ſuâ poſſeſſione, & jure, qvod longâ majorum ſerie eſt continuatum & completum. Atq; ita etiamſi [illegible] ſciens tributa ſolverit, ut plebejus, & deſcribatur in matricula plebejorum, retinebit tamen majorum ſuorum privilegium, nec illud reiteratis ſolutionibus per tempus legitimum* XXX. *annorum [illegible] perimi. Cum enim ſolutionum actus ſint reiterati, ideo [illegible] eſt tempus legitimum, prælect. in Cod. de his qui ſponte munera pu[illegible]*

*bica ſubeunt n.IIX.* Alteri qvæſtionis membro Grotius ſatis conciſè faciet: *Conceſſio immunitatis vectigalium & tributorum intelligetur de qvotidianis & anniverſariis, non de iis, qvæ ſumma neceſſitas exigit, & qvibus carere Reſp. non poteſt, II. de J. P. & B. c.*XVI. *n.*XXVII. Hunc in modum limitandam duxerim immunitatem Illuſtriſſ. Mecklenburgi Ducibus, Dominis meis clementiſſimis, à tributis Imperii futuro tempore conceſſam, *Pacif. Oſnabr art.*XII. In extremo Bodinus ait, qvod nobiles pro Rep. arma capere obſtricti ſint, qvibus turpe eſt, mercis æqvari. An ſumptu ſuo non æqvè patet? Adi & audi Perez. *prælect. in Cod. de qvib. munerib. vel præſtation. nemini liceat ſe excuſ. num.*VII. Planè ſi edicitur ipſis, ut militent, ſiqvidem conſtat injuſtam eſſe belli cauſam, abſtinere omnino debent, *Grot. II. de J.P. & B. cap.*XXVI. *num.*III. Qvid ſi dubitant ſaltem? Obſeqvium vaſallorum poſtulat textus II. F. XXIIX. Cæteroqvi prævalet illud Ciceronis *I. de officiis: Bene præcipiunt, qvi vetant qvicqvam agere, qvod dubites æqvum ſit, an iniqvum. Add. Grot.* II. *de J.P. & B. c* XXIII. *n* II. *c.*XXVI. *n.*IV. *Bodin.*III. *de Rep. cap.*IV. *n.*CCXC. Ubi tamen alicui alterutrum prorſus eſt faciendum, & de utroq; an æqvum ſit, dubitatur, id qvod minus iniqvum videtur eligere licebit. Semper enim ubi electio evadi neqvit, minus malum rationem boni induit.

XVI. Qvantum autem poſſunt Principes, caveant, ne injuſta, aut qvæ ſpeciem injuſti habent, imperent ſubditis, atq; ita mirum in modum animos à ſe alienent. *Videmus qvippe Principes ſæpe in Imperii finibus bella gerere pro ſubditis vindicandis, qvi qvem ſeqvantur conſtituere non facilè poſſunt, ac ſeipſos ſæpe vindicant in libertatem.* Verba hæc Bodini non ſunt inania rebus utilibus. Me qvidem movent, ut qværere primò libeat, an juſta ſit belli cauſa pro ſubditis alienis, ut ab iis arceatur imperantis injuria? Negat Grotius *II. de J. P. & B. c.*XXV. *n.*IIX. niſi Buſiris aliqvis, Phalaris, Thrax Diomedes ea in ſubditos exerceat, qvæ æqvo nulli probentur. Tunc enim præcluſum non eſt jus humanæ ſocietatis, modò omnis ſolicitatio exulet. Scio enim alieni cupiditatem hos ſibi aliqvando qvæſiviſſe, & adhuc qværere obtentus; ſed non ideo ſtatim jus eſſe deſinit,

1553.

ſi qvid à malis uſurpatur. Deinde ab illa controverſia nobis eſt difficultas: an ſemper liceat ſubditis in libertatem ſeſe vindicare? Pernego, etſi vi partum fuerit imperium, qvod ab oppreſſis poſtea confirmatum. Repetenda theſis I. cap. IV. Qvid ſi verò aliqvis imperium, qvod vi invaſit, ſolà vi retineat, nullâ datâ fide, pactione ſecutâ nullâ? Belli jus iſto caſu manere, ac proinde in eum licere videtur, qvod in hoſtem licet. De bello ſubditorum in ſuperiores egit Grotius *lib. I. de J. P. & B. c. IV.*

XVII. Ego ſanè ſubditis presſis nimium & oppreſſis ſvaſor fuerim, ut ſinguli potius, qvos officii neceſſitudo nullo loco alligat, vel ex ipſa patria in alias ditiones migrent, qvàm ad arma conclament adverſus Principem, Patriæ vitricum, & emendari neſcium. Dices, patriam mutari non poſſe, fiduciâ Bodini: *Tametſi* (inqvientis) *cuiq; integrum eſt domicilium commutare, nemini tamen Patriam repudiare licet.* Non nego Jure Civili domicilium originis qvoad munera, onera, & juriſdictionem fuiſſe immutabile, qvò Bodinus reſpicit; at hodiernâ conſvetudine ſenſim aliud invaluit, teſtibus Gailio II. *obſ.* XXXVI. D. Frantzkio *Comm. in D. de judic. n.* XXV. Wurmſero *exerc.* IV. *J. P. th.* XI.

XIIX. Ubi verò omnis violentia turpis eſt, ubi Princeps paſtor populi, Pater Patriæ, & Rex ſalutatur, veniâ non impetratâ ſolum verti minimè debet, uti non inſulsè Bodinus animadvertit. Qvæ de domino & vaſallo in ſimili adjicit, improbabilia fere puto: *Nec vaſallus patroni obſeqvium, nec viciſſim patronus vaſalli clientelam ac tutelam ejurare ſine juſta cauſa poteſt, niſi mutuo utriusq; conſenſu.* Profecto qvin domino invito feudum refutari, & conſeqventer obſeqvium recuſari poſſit à vaſallo non dubito, modò extraneos exceperis, qvibus ne absq; conſenſu domini feudum cedat vaſallus, illius intereſt, *Arum. diſp. feud.* VII. *th* XXII. *& ſeqq. D. Struvius exerc. Feud.* XII. *th.* XIV. Imo nihil refert, etiamſi per ſtipulationem conſtitutum fuerit, qvo minus refutationi locus ſit, *Excellentiſſ. Dominus D. Suev. exerc. Feud.* IX. *th.* IX. *Arum. dict. loc. th. fin.* Sed & dominus vaſallum invitum liberare audet, *Arum. th.* XXVI.

XIX. A ſeriis iſtis nonnihil ad jucunda deflectam, anſam

ſum arripiens, qvam Bodinus præbet: *Sæpiſſime (ait) Principes ingenioſos homines præmiorum magnitudine ac immunitatum illecebris ad ſe pertrahunt.* Dices, liberum Populi ſtatum feracem eſſe ingeniorum, non principatum. Tacitus *Lib. I. hiſtoriarum: Res Populi Rom. memorabantur pari eloqventia ac libertate. Poſtqvam bellatum apud Actium, atq; omnem poteſtatem ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia ceſſere. Simul veritas pluribus modis infracta, primum inſcitia Reip. ut alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio adverſus dominantes.* Verba illa Taciti licet ex adyto oraculorum deprompta videantur, haud tamen ingeniis in qvacunq; facultate exilium minantur regna. *Primo enim (verbis utor Cyriaci Lentuli in Auguſt.) diverſæ ſunt bonorum Regum ac veré Patrum Patriæ, qvi literas atq; artes honeſtas plerumq; excitant, ſemitæ, nec cum violenti Principatus moribus ob qvandam formæ externæ ſimilitudinem confundendæ. Deinde diſtingvo inter ingeniorum & artium diverſos fines, nec omnes eadem falce demeto.* Præterea immunitatum illecebris dicuntur allicere Principes Viros ingenio illuſtri. Verum immunitas illis conceſſa oneri non erit cæteris civibus *arg. L. IV C. de annon. & tribut. L. XII. C de omni agro deſert.* Perezius *prælection. in Cod. de annon. & tribut. n.* XXXII. diſtingvendum eſſe putat inter Principem ſupremum & inferiorem, *ut ſi ille onus imponat, & ab eo aliqvem eximat, non teneatur qvicqvam de ſuo emolumento detrahere, ſed adhuc integrum ab aliis recipiat. At inferior ita immunitatem concedere poteſt, ut de ſumma ſibi debita à ſubditis tantum detrahatur, qvanta eſt portio privilegiarii. Non autem poteſt ita concedere, ut alios aggravet.*

## *CAPUT QVINTUM.*

*I. Domicilium an decennio contrahatur?*

*II. Peregrinus nec hereditatis, nec legati capax eſt.*

*III. Deditus hoſtibus, nec receptus, an civis maneat?*

*IV. In tacenti obeſſe debeat ſilentium?*

*V. Germanus eſt, qvi Patre Germano natus, licet extra Germaniam.*

*VI. Principum juſſis tenentur etiam peregrini.*

*VII. A ſacerdotiis, & magiſtratibus potiſſimum ſubmoventur.*

IIX *Hodie Pontificis arrogantiâ circa res & perſonas eccleſiaſticas haud morantur Germani.*
IX. *Peregrini an præ civibus muneribus ſint obnoxii?*
X. *An cedere bonis qveant?*
XI. *De repreſſaliis.*
XII. *Peregrinus ab alio invito Principe ſuo receptus legationis jure gaudet inviolato.*
XIII. *Non item ille, qvi ad hoſtes noſtros miſſus eſt, aut ab hoſtibus venit, aut alioqvi hoſtilia molitur.*
XIV. *Prudens Aulicus diſſentiente Principe ſuo matrimonium haud affectat.*
XV. *Societas leonina.*
XVI. *Concluſio Prodromi.*

I. PRolixus nimium forem, ſi omnia iſta, qvæ porrò cap. VI. de civibus Bodinus effuſè tractat, comparatione cum peregrinis inſtitutâ, uno curſu emetiri ſatagerem. Hinc ex uno capite duo faciam, qvi duo capita antea contraxi, ne multitudine offenderem. Primo autem obtutu tempus explorandum erit, qvo Bodinus domicilium inter Germanos formari ac firmari autumat: *Spatium decem annorum ad civitatem adipiſcendam peregrinis omnibus æqvè propoſuerunt Germani. Id verò Romanorum legibus conſentaneum eſt.* Hoc ipſum probari ſvevit autoritate *L.II.C de incolis.* Ex lapſu nempe decennii animus præſumitur, & cum facto habitationis conjungitur, *D. Frantzk. Comm in D. de judic. n.*XXXII. Sed nec in poſtremis eſſe velim Wurmſerum, exactè decennium iſtud perſcrutantem *exerc.*IV. *J.P.th.*X. qvod Germani non obſervant, etſi Bodinus ita exiſtimet. Movet me Gailius rerum Germanicarum peritiſſimus: *In Civitatibus Germaniæ paſſim incolatus ex conſvetudine vel ſtatuto poſt annum acqviritur, & non patiuntur advenam diutius ibi commorari, ſi poſt decurſum anni jura civium redimere nolit. Qvod ſummam habet æqvitatem propter communia onera civium, Lib II. obſ.XXXV.* Alii arbitrio Judicis hac in re favent, *Arnold.de Reyger diſp.I.proceſſ.judicar. propoſ.*LXXIX.

II. Me qvidem ut ad decennium iſtud redeam Bodinus ſtimulat. *Neq; ſatis eſt* (ait) *ad jura Civitatis conſeqvenda tempus illud, qvod leges incolis definierunt, niſi ſint exules, & ſponte à ſuâ civitate donari velint, (qvam pleriq; oblatam ultro recuſant) & aſciſcantur. Sed JCti ſatis eſſe definiunt ad legata vel hæreditates capien-*

*piendi tempus præſcriptum in aliena civitate exegiſſe, ne ſcilicet teſtamenta rumpantur, aut legata peregrinis ( qvos divina lex non minore charitate fovere, qvàm viduas ac pupillos jubet) fiant caduca.* Perpenſe asſeritur, nec activâ, nec pasſivâ teſtamenti factione ( ut loqvuntur JCti ) gaudere peregrinos, *Hahn.obs. ad D.de hæred.inſtituend. num.IV.* nec legata aut fideicommisſa cernere, *Id.ad tit.de legat.*II *Gothofred.ad L.I.C.de hæred.inſtit.lit.N.* Decennio verò nudo civibus æquari in hæreditatibus & legatis capiendis peregrinos enunciare ſubdubito. Tempus qvippe ex ſuapte natura vim nullam effectricem habet, *Grot.*II.*de J.P. & B.c.*IV.*n.*I. ni alia concurrant. Sed nec rumpi ſcitè dicitur teſtamentum, ſi ab hærede deſtituatur. Irritum enim fieri commimur *ex L.I.D.de injuſt.rupt irrit.fact.teſtam. Dn.Hahn. Obs.ad D.d.tit.n.IV.* Alioqvi peregrinos amore dignos æſtimamus, ut & nobis gratis eſſe liceat peregrinis alibi. Inſtimulat Hahnius meus *Obs.D.ad.numit.in fin.* Qvid qvod auth.omnes peregrini.C. communia de ſuccesſion. liberam teſtandi facultatem impertiatur advenis atq; peregrinis, qvam an rectè vi omni inter Germanos privet Bodinus *n.LXII.* meum non faciam. Conferas Rittershus *part.*VII. *Jur. Juſtin. c.*III.*n.*XI. Ultimum occaſione legatorum, qvæ peregrino denegantur, de Judæo ( qvem hodie recipiunt, qvi regalia habent, *D.Reinking. de R.S. & E.Lib.*II. *cl.*II.*c.*III.*n.*XV. XVI.) qværere lubet: An legatum è teſtamento Chriſtiani legibus haud renitentibus capiat ? Affirmo cum Finckelthus *obs.*LXXXIV.

III. Ut ad alia pergam, excutienda mihi illa qvæſtio, an cives Romani esſe deſinant, qvi dediti hoſtibus, neq; tamen recepti ab iis ? Controverſiam hanc nondum planè definiri potuisſe Bodinus cenſet propter Bruti ac Scævolæ ſententias inter ſe disſidentes, qvarum meminit *L.IV.D.de captiv.* Enimvero Hoſtilium Mancinum deditum, nec acceptum, ſepoſito ſummo jure Civem pronunciatum fuisſe arguit *L.fin.D de legation.* At

1557.

jus ſi ſpectes. Leniorem tamen ſententiam ſecutus eſt Senatus in Hoſtilio Mancino, æqvitatem juri ſtricto præferens. Sed opponesea, qvæ Ariſtoteles in Libris Ethicis in alteram partem diſputat. Aut enim æqvitas diſcedit à jure, & erit injuſta. Qvicqvid nempe diſcrepat à jure injuſtum eſt, cum jus à juſtitia deſcendat. Igitur non dabitur æqvitati locus in Rep. Aut æqvum & ſummum jus non contraveniunt, & cravida erit differentia inter jus ac æqvitatem, qvam Conſtantinus [illegible] *L. [illegible] C. de LL.* Imo ſunt, qvi nil qvicqvam æqvitatis niſi nudum agnoſcunt nomen, dum hac utuntur clauſulâ: Peto mihi jus & æqvitatem (alii juſtitiæ vocabulum ſubſtituunt) adminiſtrari, cujus [illegible]ciam extenuat meritò Excellent. D. Svevus *Diſſ. II. Trent. [illegible] ſub explicat. adject. an. III.* Cæterum difficultas iſta facile ſuperari poteſt, ductu ejusdem Ariſtotelis, cujus mentem Oldendorp. *de jur. & æqvitat. tit. V.* exponit: *Omnia ſuo modo intelligenda ſunt, nec pugnant inter ſe iſta duo, æqvum eſt diſſimile juri vel juſto, & æqvum eſt jus vel juſtum. Nam æqvitas non diſcrepat à juſto in genere, ſed duntaxat in aliqva circumſtantia, h. e. æqvitas non mutat præcepta juris generalia, ſed ad circumſtantias ſpeciales reſpicit. Eadem igitur ſunt in genere jus ſ. juſtum, & æqvum, ſed in [illegible] æqvum melius eſt jure. Utrumq; qvidem laudandum, æqvitas tamen ſummo juri præferenda eſt in adminiſtranda Republica. Cauſa diſſimilitudinis eſt, qvia leges ſunt univerſales, nec tamen poteſt de ſingulis rectè diſcerni in univerſali.* Alias malè antinomiis [illegible] dis illam inter jus ſtrictum & æqvitatem adhiberi diſtinctionem putat *Joh. Jacob. Wiſſenb. diſſ. de æqvitat.* § XIX. *[illegible] artif.* §. XV. Deniq; lectionem Florentini Codicis in margine à Bodino taxari video, cui ne nimium tribuas & ego autor fuerim. Gœddæus: *A Florentina lectione tum demum [illegible] dere, ſi ex vulgari lectione Florentinæ contraria abſurdum qvidam, vel durum, vel iniqvum, aut irrationabile prodiret. [illegible] abſurditas, nulla lectionum contrarietas & pugna, qvæ [illegible] ſententiarum gigneret, nulla iniqvitas, adeo ſtudiose [illegible] eſt opus, qvin potius à Florentina lectione qvandoq; re[illegible] melius ſit, ad rubric. D. de V. S. n.* XXXI. Confer D. Adam. Riccium *de qvantitat. & qvalit. libror. Jur. aphoriſm* XLI.

IV. Sed & hoc indagari meretur, an tacens conſentire videatur?

deatur? Bodinus: *Tacita conſenſio obesſe debet nemini, ſi aliter conſentientis voluntatem interpretari posſimus, niſi apertè qvid tacens verbis aut factis expresſerit.* Vix ſufficiunt hæc verba deciſioni. Inde diſtingvere convenit, an agatur de commodo tacentis, num obligatio intendatur? Illic qvidem conſentire tacens cenſetur, *cap.* XLIII. *de R. J. in VI.* hic præterea de facto vel ipſius tacentis, vel alterius ſoliciti ſumus exqviſitè, *Habn. obs. ad D. de pact. num. VII.*

V. Fortè nec placent iſta Bodini: *Intelligitur qvid judicandum ſit de qvæſtione, qvam Curia Burdigalenſis* Judicum *omnium cum gratia definire non potuit, an ſcilicet Hiſpanus homo in Hiſpania natus & educatus, Galli tamen filius, in Galliam reverſus à Principe reſcriptum impetrare jure potuisſet, ut jura Civium conſeqveretur? Mihi perſuaſum eſt, planè peregrinum fuisſe.* Non auſim meum ſubmittere votum Bodino, cohibente *L. VI. §. I. D. ad munic. L. III. C. de munic. & origin.* Igitur nihil vetat, qvo minus Germanum eum dicamus, qvi patre, vel avo Germano, licet extra Germaniam, natus eſt, *Wurmſer. exerc. II.* J. *P. th. II.*

VI. Sed nec diſcrimen civis & peregrini expers eſt refutationis. *Verum ac proprium civis à peregrino diſcrimen eſt, qvod alter imperiis ac poteſtati civili obligatur, alter juſſa Principis alieni reſpuere poteſt.* Sanè ad gubernationem Populi moraliter neceſſarium eſt, ut qvi ei vel ad tempus ſe admiſcent, qvod fit intrando territorium, conformes ſe reddant illius populi inſtitutis, ac juſſis Principis irreprehenſis, *Grot. II. de J. P. & B. cap. II. n. V.* Ita incolam legibus iſtius loci ſubjicit Gailius *II. obs.* XXXV. ubi domicilium fixit.

VII. Id à vero non abludit, *à ſacerdotiis ſubmovendos eſſe peregrinos.* Inde eos inſtituere honeſtati contrarium, & à ſanctorum Patrum ſcitis alienum eſſe dicitur, *cap. IV. de cleric. peregrin.* Sed & Concilium Tridentinum *Seſſ.* XXIII. *c.* XVI. *de reform.* univerſim prohibuit, ne qvis epiſcopus peregrinum aut non ſuum ordinaret, *qvod qvisq; epiſcopus magis ſciat ſuorum*

1559.

*tum in Lipſienſi, ſed & Wittebergenſi Academia ſubditorum hujus Electoratus atq; indigenarum filii, ſtipendiarii,* und Landes Kinder *in lingvis, bonis artibus. & Religione Lutherana magnis ſumptibus ex proviſione Electorali educentur atq; informentur, ideo à D. Electore Augusto Electoratus hujus patroni ſedulò admonentur, ut ex eorum numero qvosdam ſeligant, & præ extraneis ad munus eccleſiaſticum eosdem evehere atq; vocare non intermittant, de Jur. Patronat. cap. VI. n. LXIX.* Neq; tantum jus hoc præferendi indigenas clericis eſt indultum, verum in mediis etiam Aulis, Academiis, Curiis paſſim viget, conſpirantibus ſuaviter JCtis & Politicis, *Finckelthus. d. l. num.* LXXI. LXXII. Zevecotius: *Tyranni peregrinorum maximè opera poteſtatem ſuam tuentur. Id eſt, ingratum paſſim eſt ſummas dignitates exteris committere, quia cives negligi ſe credunt, & iis Remp. committi, qvi tam arctè illi non obligantur. Eapropter etiam hodie exteros à Magiſtratibus arcent multæ nationes, qvarum ego conſvetudinem laudo, ſi & viris idoneis ſatis inſtructæ, & non niſi tales, ac ſtatus præſentis Studioſos ad clavum patriæ vocent, nec pro exteris nimium pertinaciter rejiciant, qvi alibi nati Provinciæ, in qvam jam agunt, & prodeſſe volunt, & poſſunt, Obs. Polit. ad Sveton. Cæſar* c. LXXVI.

IIX. Ad ſacerdotia qvod attinet, perhibentur *Germani pactis conventis à Pontificibus expreſſiſſe, ut peregrini à ſacerdotiis arcerentur.* Impræſentiarum qvidem nec vacat mihi, nec libet nunciam vetuſtatis conſulere, & veritatem pacti iſtius conventi, cujus Bodinus meminit, indagare; diffiteri tamen haud auſim, Germanos cum religioſi eſſent, non religentes, inconſultâ ſuâ facilitate, qvam Marſilius Patavinus aliqvoties redarguit, Pontificum faſtum adauxiſſe, cui freni adhibendi fuisſent ſubimpudenti. Tandem Maximiliani, Caroli V & cæterorum ætate Papales iſti conatus circa res & perſonas eccleſiaſticas eviluerunt, ſuſpensâ Jurisdictione Pontificiâ, imò verò profligatâ penitus. Hæc felicitas Germanorum Proteſtantibus unice, vel certè potiſſimum ferenda eſt accepta, qvæ facit, ut nec morari hodie nec mirari ſubeat pacta conventa Antichriſti. *Sed enim crebrius nil fuit, qvàm ut pacta conventa Pontificum Romanorum fraude violarentur.* Perfidiam notat Bodinus, qvam unà cum injuſtitia inter fraudes magnas collocat Lipſius *IV. Polit. c. XIV.*

Utram-

Utramq; verò damnat acriter, levem fraudem, in qvo genere ipſi eſt diffidentia, & diſſimulatio, ſvadens, mediam, in qva ponit conciliationem, & deceptionem, tolerans æqvanimiter. Scilicet ævum & homines ignorare mihi videntur, qvi fas non putant, rationem bono conſilio a Deo datam in fraudem, malitiamq; converti.

IX. Sed danda opera eſt, ut celeriter me recipiam, ne diſceſſus à peregrinis aliqvid fugæ ſimile habeat, qvos muneribus ubiqve fere urgeri præ civibus Bodinus asſerit. Qvid Athenis, aut alibi factum ſit, vel etiamnum fiat, impræſentiarum non dicam. Germanis ſanè inhumanum videbitur, peregrinos magis qvàm cives muneribus ſubjicere. Sed & trita illis eſt diſtinctio munerum, qvam exhibet *L I. D. de muner.* ne promiſcuè peregrinos onerent, qvod dextre obſervavit Gailius *Lib.II. obſ.LII.* prolixitate ſuâ brevitatem mihi imponens.

X. Porro ut peregrinos à civibus ſeparet Bodinus, his qvidem miſerabile ceſſionis bonorum auxilium non invidet, illis verò legibus id profitetur negari, præter licentiam teſtandi, de qva theſi II. egiſſe ſufficiat. Enimvero nec ex indice Legum Romanarum Hotomanni, nec è Lib.IIX. antiqvit. Roman. Roſini cap. XIX illud compertum eſt mihi, excludi peregrinos ære alieno obrutos à conſortio humanitatis. Lege qvippe Pœteliâ cautum fuit, ut bona debitoris, non corpus obnoxium esſet, & ne qvis in poſterum necteretur. Lex Julia ſanxit, ut qvi ſine dolo ſuo malo æri alieno ſatisfacere non posſet, bonis ſuis cedendo liberaretur. Hinc cum nullibi fiat mentio civium ſolorum, ad omnes omninò debitores, qvi bonis ſuis lapſi ſunt, beneficium ceſſionis extendit Perezius *prælect. in Cod. qvi bon. ced. posſ. n.*III. parum ſolicitus de juramento, qvo aliqvis ad ſolutionem ſe fortean obſtrinxit. Denegatur tamen juſtè iis, qvi animo cedendi contraxerunt, aut bona ſua dilapidarunt. *His annumerandi & illi* (verbis utor Perezii *dict. loc. n.IIX*) *qvi foro cedunt, ac multorum pecuniis interceptis contra fidem publicam, qvam dederunt*

pacem haud fieri ceſsionis, à datione in ſolutum diſcrepantis, cum Perezio ſentio *n*.IX. Inſuper an peregrini litigaturi caveant judicatum ſolvi, moleſtum magis foret enodare, qvàm difficile. Mihi qvidem hactenus de differentia civium & peregrinorum iſta in re nondum liqvet, necab Arnoldo de Reyger, qvi curam ſuſcepit processus judicarii, illam annotari video *diſp*.IV. *th.* XXXIX. *& ſeqq.* utut & antiqvum, & novum jus trutinet.

XI. Ad repreſſalias qvod attinet, qvarum Bodinus meminit, conſuli velim Grot. *Lib.III. de J. P.& B.c.II.* Rittersh. *part.III. Jur. Juſtin. c.VII.* Gail. *tract. de pignomtion.* Wiſſenbach. *de repreſſal.* Id asſerere vix auſim, qvod clarigatio inter cives omnino ceſſet, promptum adverſus peregrinos ſolos repellendæ injuſtitiæ ſubſidium. Non diffiteor qvidem inter ſubditos ejusdem Principis haud exerceri repreſſalias, at hodie poſtqvam ex conſtitutione Imp. Antonini cives Romani effecti ſunt, qvi orbem Romanum colunt, *L.XVII. D. de ſtat. homin.* nec tamen unius Principis manu gubernantur, qvidni inter cives communis Patriæ huic executionis violentæ ſpeciei locus ſit, modò legitimus juris & executionis ordo præceſſerit, qvem Pacificatio Oſnabr. *art.IIX. §. tam in univerſal.* deſiderat magnopere?

XII. Neq; asſentiri velim Bodino, ne asſentari videar jus ſacroſanctum Legatorum violanti, odiumq; concilianti hiſce: *Qvod ſi peregrinus invito vel non aſſentiente Principe alterius imperio ſe ipſum ſubjecerit, ab eoq; adſcitus ſit in civem, nihilominus Principi ſuo æterna in illum autoritas eſt, ac jus prehenſionis, ut in ſervum fugitivum, etiamſi ad ſe legatus venerit à novo Principe miſſus.* Ne qvid diſſimulem, imprudenter qvidem agitur utrinq; ſi odioſi mittantur, & mittenti pareant; nihilominus in publica perſona ulciſci privatam fere piaculum mihi eſt. Albericus Gentilis *Lib.II. de legation. c.XI: Meminiſſe debemus, potiorem perſonæ publicæ rationem eſſe, qvia hæc eſt dignior, & dignius qvod eſt, id rapere minus dignum ad ſe certum notumq; ducitur. Itaq; privatæ perſonæ reſpectus nullus poteſt obtendi in legato puniendo, qvem jam publica ſupereminet. Et hæc eſt, qvæ læditur, nec diſtingvi poteſt, ne lædatur.*

XIII. Majori applauſu dignum, qvod de Carolo V. memorat Bodinus, eum jura gentium minimè violaſſe in Rincuſio, au

Era

Fregoſio, Legatis Franciſci I. Galliarum Regis, ad Turcam contendentibus, utut disſentire videatur Franciſc. le Vayer *de legat. legatorumq; autorit. cap.IV.* Sed enim opus haud fuit (ut Bodino videtur) ſpeciem transfugarum objicere, aut factum improbare. Ex tripode dictum: LEGATI SIQVIDEM AD HOSTES NOSTROS EUNT, AUT AB HOSTIBUS VENIUNT, AUT ALIOQVI HOSTILIA MOLIUNTUR, INTERFICI ETIAM POTERUNT. Qvod Athenienſes fecerunt Legatis inter Perſas & Spartianos, Illyrii Legatis inter Esſios & Romanos, *Grot.II.de J.P.& B. c.XIIX.n.V.* perperam violationem Juris Gentium objiciente Octaviano Magio *Lib.I. de Legato cap.I.* Multò minus vinciri eos, *Grot. dict. loc.* aut detineri aliter ſubabſurdum eſt, agitaturos Remp. noſtram. Apparet inde, qvo jure, qvâve conſcientiâ Henricus Brunſvicenſis per Joh.Staplerum, Heidelbergenſem, cui cerebrum omne in lingva erat, Landgravium Hasſiæ violationis Pacis Publicæ inſimulare tentaverit ob interceptionem Secretarii ſui, cui Stephano Schmidio nomen erat. Etenim repertæ apud eum literæ conatuum bellicorum & calumniarum in Proteſtantes indices. Adi & audi Michael. Piccart. *diſp.XLVI. Philoſ. Altdorph. qv.IV.* nec pœnitebit te laboris.

XIV. Verum ne ubiq; propemodum ſtomachari, & cum Bodino meo disſentire videar, haud qvaqvam probo factum Lenoxii Comitis, qvi connubium vetante Angliæ Reginâ Eliſabethâ contraxerat. Aulicus qvippe prudens matrimonia à Principe oblata modeſtè acceptat, imo ſemper Principis conſenſu contrahit. Autoritati qvippe ſuæ velificatur, ſi noverit Populus eum Principi ita placere, ut ipſius fortunæ curam gerat. Contra metamorphoſis illi inevitabilis imminet, qvi delegerit conjugem Principi exoſam *Conf. r Zevecot. obſerv Polit. ad Sveton. Cæſar. c.I. Bodin. V. de Rep IV.* Præterea id recipio, qvod diſcrimen ſit Patricios inter, & nobiles, imprimis illos, qvi peculiari civitatis alicujus conſvetudine nobiles cenſentur, qvibus etiam nobilitatis privilegia Wurmſerus adimit *exerc.IV. J.P. th.XIV.* Alioqvin ineptus

XV. Noviſsimè totus diverſus ſum à Bodino leoninæ ſocietatis patrono: *Fieri poteſt, & jure qvidem, ut civium partim ab omnibus muneribus & oneribus vacationem habeant, partim omnia onera ſubeant. Ita qvoq; ſocietas coiri poteſt; ut ſociorum alter commoda ferat, nec ulla detrimenta, aut incommoda collapſæ ſocietatis patiatur.* Qvid hoc iniqvius aut indignius dici poteſt? Iniqviſsimum genus ſocietatis ex qva qvis damnum, non etiam lucrum ſperat, *L.XXIX. §.II.D.pro ſocio.* Hugo Grotius: *Ut ſociorum aliqvis lucri ſit particeps, immunis damni, eſt qvidem præter naturam ſocietatis, poteſt tamen ita conveniri ſine injuria. Fiet enim mixtus contractus ex ſocietate, & ex contractu averſi periculi, in qvo ita ſervabitur æqvalitas, ſi tanto plus lucri ferat, qvàm alioqvi laturus fuerat, qvi in ſe damnum recepit. Ut autem qvis damnum ſentiat ſine lucro, ideo admittendum non eſt, qvia ita naturalis eſt ſocietati utilitatum communio, ut ſine ea neqveat ſocietas conſiſtere, Lib.II. de J.P.& B. c.XII. n.XXIV.* Enimvero Bodinus probè inſpectus damnum à lucro avellit, illo alterum ſociorum iniqvè prægravans, hoc inconſultò beans alterum.

XVI. Atq; hic finire me poſſe arbitror, qvi PRODROMUM emittere amavi ANTIBODINI, non ipſum ANTIBODINUM, poſt hac divulgandum, ſicubi ſpecimen præſens, qvod exhibeo, placuerit. Non omnia dixi, qvæ dici poterant, ſed nec dicere volui, aut debui, niſi præcipua. Si error aut ſomnus me alibi habet, qvid mirum in homine? Homerus *odyſſ.* XIX:

> Ἀλλ' οὐ γάρ πως ἐστὶν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰὲν
> Ἀνθρώπους.

Qvi ſpecioſiora ſuperſtruet, adeo me invidentem non habebit, ultro & gratiam referet. Interim cum inter cætera mortalitatis incommoda & hoc ſit, caligo mentium, nec tantum neceſſitas errandi, ſed errorum amor, abrumpam iſto prudentis fortunæ & adverſæ & proſperæ æſtimatoris effato:

*RARO MAGNI ERRORES NISI EX MAGNIS INGENIIS PRODIERE.*

ROMA